

PETE ABEO, UT VIAS TUAS DIRIGAT.
Tob. C. 4. v. 20

Rev. Patris

JOANNIS GRASSET, S. J.

NOVA FORMA MEDITATIONUM,

IN SINGULOS ANNI DIES;
CUM SCIENTIA

SANCTORUM: NOSSE MORI.

Post
Tertiam Editionem Gallicam
Anno 1673. Parisiis impressam,
Latinè reddita
A
Quodam Societatis JESU
Sacerdote.

EDITIO QUINTA.

CUM PRIVILEGIO CÆSAREO, ET FACULTATE SUPERIORUM.

Augustæ Vindelicorum & Cracoviæ,
Sumptibus Christophori Bartl, & Consortium. Mercator. & Bibliopol. Universitatis Cracoviensis.
ANNO 1756.

FACULTAS

R. P. PROVINCIALIS

Cùm

PRIVILEGIO

CÆSAREO.

CUm D. Chriſtophorus Bartl typis recudere deſideret librum, cui Titulus: Nova forma Meditationum ad ſingulos anni dies &c. à Patre Joanne Graſſet Soc. JESU conſcriptum, & jam alias latino idiomate editum, ego Adamus Dichel Societatis JESU per Superiorem Germaniam præpoſitus Provincialis, poteſtate ad id mihi facta ab Adm. Reverendo Patre Noſtro Ignatio Vicecomite Univerſæ Societatis præpoſito Generali, eidem ad primam duntaxat hanc editionem facultatem impertio; ſimúlque communico Privilegium Cæſareum, quo aliis bibliopolis, & Typographis &c. prohibetur, ne dictum librum citra conſenſum Superiorum recudere, aut intra fines S. R. Imperii inferre præſumant. In quorum fidem has ei manu propria, & conſueto Officii Sigillo munitas dedi. Friburgi Brisgoiæ 2. Julii 1752.

(L. S.)

ADAMUS DICHEL.

MONITA NECESSARIA

Ad meliorem usum sequentium Meditationum.

COmpluribus Orationi mentali assuetis minùs probantur Meditationes fusiùs propositæ, vel quòd illis perlegendis tempus sufficiens non habeant, vel quòd memoriâ illas retinere non valeant. Accedit, quòd eorum mens, videns jam factum, quod ipsis faciendum erat, & inveniens absque labore, quod scrutatione intellectûs quærendum fuerat, negligentior evadat, & veluti otiosa evagetur in vastitate illa materiæ ab aliis prolixiùs explicata. Contrà ubi strictim collectum habent meditandi argumentum, absque difficultate illud memoriâ retinent, cum profectu expendunt, & cum delectatione degustant: haud secùs atque artifices tantò suavius amant opus à se perfectum, quantò majori laboris impendio illud perfecerunt.

Venator, quò longiori tempore prædam investigavit, eò liquidiore perfunditur gaudio, ubi eam denique invenit, & accepit. Veritas proprio conatu eruta vehementiùs commovet animum, quàm centum veritates ab aliis propositæ.

Longè ſuaviùs ſentit animus effectum gratiæ, quando conſiſtens in terra deſerta & invia, & inaquoſa, videt cælitùs delabi manna in nutrimentum, & ſcaturire aquas è petra duriſſima ad reſtinguendam ſitim.

Regnum cœlorum ſimile eſt grano ſinapis, quod licèt minimum ſit, multùm tamen calefacit ſtomachum ubi contritum fuerit ac contuſum.

Neutiquam obruenda eſt mens nimii materiæ copiâ, ſicut nec ſtomachus nimiâ quantitate ciborum, quibus bene digerendis non ſufficit. Atque hinc eſt, quòd S. Ignatius peritiſſimus orandi Magiſter, in aureo exercitiorum ſpiritualium libello Meditationes tradiderit admodum breves, & tantò breviores, quantò ampliùs quis in exercitiis fuerit progreſſus: ad hoc nempe, ut anima omnem ſuam in Deo ponat fiduciam, lumen ab eo ardenter expectat, potentias ſuas ſeriò applicet, è cœlo auxilium avidè exſpectet, clarè agnoſcat, quàm modicum ex ſe habeat, ut inde humilietur, & quantum à Deo recipiat, ut ad referendas gratias inde exſtimuletur.

Permagna ſanè differentia eſt inter lectionem & Meditationem. Qui legit librum bonum, intelligere debet, quod legit, ſine difficultate, & ſine labore veritas menti legentis patere debet abſque inquiſitione; qui verò meditatur, ratiocinationis propriæ labore perſcrutari debet agrum Evangelicum, ut reperiat theſaurum gratiæ in eo reconditum. Verum quidem eſt, quòd non omnes homines ſint capaces,

ut

ut propriâ induſtriâ latentes eruant veritates, & convincentes efforment diſcurſus, unde compulſi ſunt maximi quique noſtri ævi ſcriptores, in publicum edere prolixas Meditationes, in quibus propoſitæ ſunt veritates, cum omni, quam habent, efficacia & extenſione, ut, qui non pollent mente ita perſpicaci, & occulta rimante, juventur lectione ejusmodi veritatum prolixiùs propoſitarum, neque aliud porrò inter orandum illis, quod agant, ſuperſit, niſi ut bene afficiantur erga ea, quæ penſiculatè legerunt. Qui verò mentem nacti ſunt vivacem, agilem, curioſam, ardentem ac ſolidam, modicum exigunt materiæ, quâ ſe occupent: qua in re ſimiles videntur igni, qui, ubi nimiâ nutrimenti mole obruitur, penitùs extinguitur.

Fateor equidem, quòd ſit perdifficile, omnium genio ſatisfacere; polliceri tamen nihilominus audeo, quòd tam his, quàm illis commodæ futuræ ſint Meditationes, quas trado. Qui parùm materiæ exigunt, vel in unica ſolùm linea reperient, quo ſe longo tempore utiliter occupent, qui verò copiam materiæ expetunt, tranſeundo ab una linea ad alteram, tempore prius deſtituentur, quàm argumento fructuoſæ meditationis.

Rerum ſacrarum intelligentes facilè perſpicient, quòd potiſſima pars propoſitionum, quibus conſtant hæ meditationes, ſint ſententiæ ſanctorum Patrum, verbotenus ferè in Gallicum idioma translatæ. Deſtinaveram eas annotate in margine, ſed conſiderando, quòd ejusmodi

modi citationes doctrinalibus potiùs libris conveniant, & quòd eas in suis quoque Meditationibus prætermiserit P. Ludovicus de Ponte, supervacaneum duxi illas attexere. At loco textuum SS. Patrum, adjeci sententias sacræ scripruræ, quæ essent veritatum in Meditationibus propositarum fulcimentum & condimentum, insulsa namque & insipida sunt hominum verba absqúe sale Verbi Divini. Illa nequaquam tantam vim habent ad permovenda hominum corda, quantam habent textus sacri, quorum pondus & authoritas longè efficaciùs commovent hominum animos, quàm omnes locutiones humanæ. Itaque qui volent operari per fidem, poterunt inhærere adductis Divinæ Scripturæ sententiis; qui verò volent intellectûs ratiocinatione, argumentum discursûs ex ipsis depromemt Meditationibus.

Proponuntur autem hîc Meditationes de potissimis virtutibus & vitiis, uti & de præcipuis mysteriis vitæ Domini nostri JEsu Christi, & B. V. Mariæ; & quia sensus harum veritatum concludi debebat unâ aut alterâ lineâ, necessarium erat concinnare has Meditationes in forma sententiarum, & brevium dictorum, ut suaviùs animo illaberentur, absque tamen rhythmica consonantia, quam vitavi, ut potui.

Libens fateor, quòd aliqua hîc sæpiùs quandoque repetantur. Sed quis est Meditationum liber, in quo non idem eveniat; & quis potest tractare materias adeò similes, ut non in easdem quandoque incidat cogitationes? Addo, quòd sit admodum proficuum, easdem materias bis

bis aut ter meditando repetere; veritas enim, quæ aliquo tempore non movet, alio ſubinde tempore efficaciùs movet, ut ſapienter advertit S. Ignatius. Atque hinc de induſtria quædam hinc inde repetii, quæ facili negotio potuiſſem mutare.

Ordo Meditationum reſpondet tribus ſtatibus vitæ Spiritualis, Incipientium, Proficientium, & Perfectorum, ut nempe quivis facilè reperire poſſit argumenta Meditationum, ſuæ diſpoſitioni conformia. Hæc ipſa methodus eſt, quam ſervavit P. Ludovicus de Ponte, quam & mihi ſectandam credidi.

Verùm ut illis quoque ſatisfacerem, qui deſiderant habere Meditationes toto anni decurſu uſui futuras, adjunxi Indicem, quo deſignantur materiæ Meditationum in ſingulos anni dies. Quoniam autem fieri non poteſt, ut proponantur materiæ hujus generis ſemper diverſæ pro toto anno, & Meditationes hæ plenæ ſunt magno numero veritatum, quarum quælibet ſufficit occupationi plurium dierum, neceſſario bis aut ter intra annum idem argumentum Meditationis proponendum mihi fuit, relinquendo cujusvis devotioni libertatem mutandi Meditationem, ſi illa, quæ aſſignatur minùs ipſi arrideat.

Præfixi cuivis diei argumenta magis conformia Evangelio Dominicæ, quod proin ſub cujusvis hebdomadæ initium legere conſultum foret. Idem obſervavi in Feſtis Sanctorum; ſuggero enim Meditationes aut de illorum virtutibus, aut de argumento Evangelii, quod

in Missa legitur. Qui legent compendium vitæ illorum, facilè poterunt eorum exempla componere cum veritatibus, quas meditantur.

Sunt quidam bonæ mentis, qui cupiunt quovis mense sese ad mortem rite disponere: horum devotioni ut satisfacerem, ad finem cujuslibet mensis assignavi quatuor Meditationes huic scopo perquam accommodatas. Illi verò, quibus menstrua hæc ad mortem præparatio minùs arridet, poterunt assumere alias designatas materias, aut ipsi seligere illas, quæ præplacuerint ex Indice omnium Meditationum.

Ut fructus ex his Meditationibus hauriatur, hìc ferè modus est adhibendus. Post prævias præparationes ordinarias, de quibus dixi in Methodo Orationis à me edita, lege cum reverentia, & attentione Verba S. Scripturæ & singula accuratè perpende. Elice actus fidei, & si mentem tuam his bene occupatam advertas, illis inhære, neque ad alia mentem transfer.

Quòd si verò animus non satis pascatur sensu Verborum Divinæ Scripturæ, lege primam partem Meditationis tibi propositæ, & inhære veritati, quæ majorem in animo tuo affectum excitabit, aut incipe à primis duabus lineis. Stude, ut bene penetres sensum, reflexionem institue super teipsum & adverte, utrùm vita tua huic veritati conformis sit: sin minùs, concipe inde dolorem, & elice bonum propositum. Exempli gratia si mediteris de patientia, ubi perveneris ad has duas lineas: *Quidquid patior, nihil est in comparatione pœnæ, quam promerui.* Revoca tantisper in memoriam potissima

tiſſima peccata vitæ tuæ, compara locum, in quo es, cum illo, in quo deberes eſſe; pœnas, quas toleras, cum illis, quas deberes tolerare. Metire tempus dolorum tuorum cum æternitate, & vide, an cauſam habeas conquerendi. Dic; ſi Deus juſtitiam ſuam in me exercuiſſet, ubi modò degerem? an non ſuaviùs hîc vivo, quàm in inferno? ſi illic habitarem in turba damnatorum cum ardoribus ſempiternis, an non felicem me æſtimarem, ſi inde liceret huc redire, ac perpeti, quæ modò perpetior? Cur igitur conquerar? nunquid inique Deus mecum agit? An non infinities duriora ſum promeritus? Proſequere hanc conſiderationem, & compelle cor tuum, donec acquieſcat, & Dei ordinationi ſe plenè ſubmittat. Dein elice affectus. Gratias age Domino noſtro, ob bonitatem & miſericordiam tibi exhibitam. Veniam pete de tua impatientia, & ſtatue patientiùs, quàm hactenus, tolerare adverſa.

Progredere deinceps ad lineam ſequentem: *In comparatione gloriæ tuæ, quæ mihi eſt præparata*, quam meditaberis, ut præcedentem, avolando, apis inſtar, à flore in florem, donec inveneris mel devotionis.

Quòd ſi nullâ ratione movearis, ne tamen eapropter intermitte Orationem, ſed perſiſte tranquillus in Dei præſentia, aut utere praxibus quas docui in Methodo Orationis. Poteris etiam legere verba devotione plena, quæ ſunt ad finem quartæ Partis, ubi reperies absque dubio conſolationem.

Quan-

Quando præter modum aut ordinem agitaberis affectibus gaudii aut triſtitiæ, conſultum erit, etiam extra ſtata Orationis tempora hoc agere. Eleva cor tuum ad Deum, roga illum, ut manifeſtam tibi faciat voluntatem ſuam. Dein librum fortuitò aperiens, inhære meditationi, in quam fortè incideris, & frequenter reperies, quod quæres. Providentia Dei, inquit Sapiens, ludit in orbe terrarum cum hominibus, & libenter ſe manifeſtat in fortuitis & inopinatis ejusmodi caſibus.

Quoniam juſſus ſum nomen meum novæ huic editioni præfigere, obſecro, & obteſtor bonos omnes, per charitatem, quam debent miſeris, ut mei inter precandum meminiſſe velint.

Sequuntur duo Indices. Prior omnium Meditationum, quæ toto libro continentur. Poſterior, Meditationum in ſingulos anni dies.

PRIMA PARS
MEDITATIONUM
PRO
VIA PURGATIVA.
MEDITATIO I.

De Fine Hominis.

A Deo ex nihilo conditus sum. Dei sum totus. Non subsisto, nisi in Deo. Non vivo, nisi ut serviam Deo. Sicut non possum existere, nisi à Deo, ita non possum existere, nisi propter Deum. Necessarium non est, me in mundo existere. Quòd si tamen existam, necessariò oportet me totum esse Dei.

Omnia mihi loquuntur de Deo. Omnia me rapiunt ad Deum. Omnia mihi Dei cognitionem ingenerant. Omnia mihi exprobrant, quòd vivere non merear, nisi vivam propter Deum. Quòd cor habere non merear, nisi velim Deum diligere. Quòd non possim duo-

bus Dominis ſervire, ſed quòd oporteat me aut dæmonis, aut Dei mancipatum eſſe obſequiis.

Utri illorum hactenus obtemperavi: Cujus dominio me ſubjeci? Cujus obſequiis me impendi? Cujus beneplacitum adimplevi? Heu! dæmonis imperiis ſum obſecutus. En Dominum, quem Deo prætuli! Illi me mancipavi. Omnem voluntatem ejus explevi.

Ah! exhorreſco perfidiam meam. Agnoſco iniquitatem meam. Cupio deinceps ſoli Deo adhærere. Nolo amare, niſi Deum. Nolo vivere, niſi propter Deum. Nolo ſervire, niſi Deo. Neceſſitatem mihi imponam Deum amandi, ejúsque beneplacitum in omnibus exequendi.

Verba S. Scripturæ.

Notum fac mihi Domine finem meum, ut ſciam, quid deſit mihi. Pſal. 38. 5. & 6.

In gloriam meam creavi eum, formavi eum, & feci eum. Iſai. 43. 7.

Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus. Prov. 16. 4.

Ego ſum principium & finis. Apoc. 1. 8.

Filios enutrivi, & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me. Iſai. 1. 2.

MEDITATIO II.

De dominio Dei in Creaturas.

NOn ſemper extitiſti in rerum natura. Fuit tempus, quo non extiteras. Deus te edu-

eduxit ex nihilo. Ipſe tibi dedit, quidquid es. Tu ergo es creatura ejus. Ille abſolutum in te habet dominium. Poteſt tibi imperare, quidquid ipſi placet. Poteſt tibi prohibere, quidquid ipſi placet. Poteſt tibi permittere, quidquid ipſi placet. Poteſt te collocare, ubicunque ipſi placet. Poteſt te conſervare, aut deſtruere. Poteſt te extollere, aut deprimere. Poteſt te conſolari, aut affligere. Poteſt tibi mortem accelerare, aut vitam extendere. Sicut ille à nemine dependet, ita nemini obligatur.

Deus eſt primum Principium tuum. Ipſe eſt Dominus vitæ tuæ. Ipſe eſt Conſervator tuus. Ipſe eſt Reparator tuus. Dependes ab illo neceſſario. Dependes ab illo eſſentialiter. Dependes ab illo abſolutè. Dependes ab illo ſemper. Dependebis ab illo æternùm. An non æquiſſimum eſt, obedire te illi, à quo totus, quantus eſt, dependes?

Qui plantavit vineam, nunquid jus habet veſcendi fructibus ejus? Qui domum conſtruxit, nunquid jus habet inhabitandi illam? Quanta iniquitas, ejicere Deum ex corde, quod manibus ſuis ipſe efformavit? Ex corde, quod ſanguine ſuo redemit? Ex corde, in quo deſiderat commorari? Ex corde, quod cupit ſanctificare? Quanta arrogantia vaſis teſtacei, murmurare contra figulum, à quo fuit effectum?

Deus eſt ultimus finis tuus. Creavit te ad gloriam ſuam. Deſiderat te beatum efficere, quem in finem te in hunc mundum induxit. Res quælibet tendit in finem ſuum. Finis eſt

terminus motuum ejus. Eſt centrum quietis ejus. Eſt principium virtutis ejus. Eſt pondus inclinationis ejus. Eſt cumulus perfectionis ejus. Extra finem ſibi proprium res quæcunque infelix eſt, infirma eſt, vitioſa eſt. Ah! cur non ergo ad Deum contendimus? Ah! cur à Deo deficimus?

O Deus meus, & finis meus! Tu es Principium vitæ meæ. Tu es Centrum quietis meæ. Manus tuæ fecerunt me. Manus tuæ conſervant me. Manus tuæ ſuſtentant me. Manus tuæ defendunt me. Semper hæreo intra brachia tua, nec tamen unquam cogito de te. Semper verſor in corde tuo, nec tamen unquam amo te. Creaturæ tuæ omnia mihi præſtant obſequia, & ego tibi ſervire recuſo. Egóne illas condidi; Egóne vitam meam pro illis poſui?

O mi Deus! creâſti me propter te, & mortuus etiam es propter me. Promittis mihi æterna bona. Minaris mihi æterna mala. Et hæc omnia me non percellunt. Et poſt hæc omnia necdum amo te.

O Deus meus, & Dominus meus! exure Paradiſum, extingue infernum. Non requiro aliam mercedem obſequii à me tibi præſtiti, quàm illam gloriam, quæ eſt, Tibi ſerviiſſe. Grande nimis præmium eſt Paradiſus amanti te. Exigua nimis pœna eſt infernus non amanti te.

O quantùm me oblectant hæc animi ſenſa! Ego ſum à Deo. Ego ſum Dei. Ego ſum in Deo. Ego ſum propter Deum. A Deo, velut à meo Principio. Dei, ut ſupremi Domin

mini mei. In Deo, velut in Centro meo. Propter Deum, velut ultimum Finem meum. Heu me! Ita hactenus vixi, ac si existerem à meipso. Ac si essem mei ipsius. Ac si existerem propter me ipsum. Ac si sufficerem mihimetipsi. Ah! ero deinceps totus tuus. Non serviam alteri Domino, nisi tibi. Non quæram quietem, nisi in te. Non laborabo, nisi propter te.

Verba S. Scripturæ.

Dominus Deus vester ipse est Deus Deorum, & Dominus Dominantium, Deus magnus & potens, & terribilis. Deut. 10. 17.

Si Pater ego sum, ubi est honor meus? & si Dominus ego sum, ubi est timor meus? Malach. 1. 16.

Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me. Job. 10. 8.

Quis plantavit vineam, & de fructu ejus non edit? 1. Cor. 9. 7.

O homo, tu quis es, qui respondeas Deo; Rom. 9. 20.

Nónne Deo subjecta erit anima mea? Psal. 61. 1.

MEDITATIO III.

De Cura propriæ Salutis.

SAlus mea est negotium meum. Salus mea est unicum negotium meum. Salus mea est summum negotium.

Deus ab omni æternitate cordi habuit hoc negotium. Filius Dei mortuus eſt in cruce propter hoc negotium. Angeli noſtri boni operam ſuam conferunt in hoc negotium. Mundus univerſus non eſt conditus, niſi propter hoc negotium.

Omnis felicitas mea innititur huic negotio. Æternitas mea vertitur in hoc negotio. Omnes dæmones adverſantur huic negotio. Non poſſum absque vigili cura feliciter conficere hoc negotium. Stultus itaque ſum, ſi non ſeriò tractem hoc negotium.

Ego interim negligo hoc negotium. Omnia alia cogito, præterquam hoc negotium. Cætera omnia majori mihi curæ ſunt, quàm hoc negotium. Ah! nolo deinceps ſollicitus eſſe, niſi de hoc negotio. Nulli rei majorem operam impendam, quàm huic negotio.

Verba S. Scripturæ.

Unum eſt neceſſarium. Luc. 10. 42.

Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Matth. 16. 26.

Quam dabit homo commutationem pro anima ſua? Ibidem.

Attende tibi. 1. Tim. 4. 16.

Miſerere animæ tuæ, placens Deo. Eccli. 30. 24.

MEDITATIO IV.

De Avulſione à Creaturis.

NUnquam inveni verum gaudium in creaturis. Nunquam in illis quietem inveni. Nunquam in illis ſecuritatem inveni. Nunquam in illis fidelitatem inveni.

Vanæ ſunt, & inſtabiles. Impuræ ſunt, & indigentes. Illæ propter me fuerunt procreatæ. Ego non fui conditus propter illas. Illæ abjectiores ſunt, quàm ego. Ego multò nobilior ac præſtantior ſum, quàm illæ. Occupare me poſſunt, at ſatiare me non poſſunt, Perturbare poſſunt cor meum, at ſedare illud non poſſunt.

Mi Deus! Cor meum permodicum eſt in ſua ſubſtantia; ſed infinitum eſt in ſuis deſideriis. Tantum eſt, quanta eſt beatitudo tua, cujus capax eſt. Condidiſti cor meum ad te amandum. Formâſti illud ad imaginem & ſimilitudinem tuam.

Cor meum eſt fluvius, qui in mare delabitur. Eſt ignis, qui ſurſum ad ſuam ſphæram contendit. Eſt radius, qui ad ſuam properat redire originem. Eſt ferrum, quod appetit ſuo uniri magneti etiam non cognito.

Heu! quàm infelix fui, quando creaturas amavi. O mi Deus! quoniam conditus ſum propter te facilè perſpicio, quòd nunquam doſſeſſurus ſim pacem, aut quietem, niſi in te.

Verba S. Scripturæ.

Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Eccle. 1. 2.

Vide in omnibus vanitatem & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole. Eccle. 2. 11.

Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus bene fecit tibi? Psal. 114. 7.

Ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Psal. 4. 3.

MEDITATIO V.

De Voluntate Dei.

NOn existo in mundo, nisi ut exequar, quod Deus vult. Mortem incurrere mereor, nisi exequar, quod Deus vult. Nunquam perfectus ero, nisi exequar, quod Deus vult. Nunquam quiete fruar, nisi exequar, quod Deus vult. Volens nolens exequi debebo, quod Deus vult.

Sapiens ero, Sicut Deus, si idem cum ipso judicium habeam. Justus ero, sicut Deus, si eandem cum ipso regulam habeam. Sanctus ero, sicut Deus, si eundem cum ipso amorem habeam. Potens ero, sicut Deus, si idem velim, quod ipse vult. Beatus ero, sicut Deus, si eandem cum ipso delectationem habeam. Omnia mihi obedient, sicut Deo, si eandem cum ipso voluntatem habeam.

Heu! quàm infelix hactenus fui, quamdiu contra Deum bellum gessi. Omnia repugnârunt voluntati meæ, quando Divinæ voluntati repugnavi. O mi Deus! ne tradas me concupiscentiis meis. Ne permittas ampliùs, ut te offendam. Everte voluntatem meam, ne per ipsam evertatur voluntas tua. Compelle me, si tibi obtemperare detrectem. Exequere circa me voluntatem tuam, si quando recusem exequi beneplacitum tuum.

Verba S. Scripturæ.

Vita in voluntate ejus. Psal. 29. 6.

Sicut fuerit voluntas in cælo, sic fiat. 1. Machab. 3. 60.

Non quod ego volo, sed quod tu. Marc. 14. 30.

Domini voluntas fiat. Act. 21. 14.

Domine, quid me vis facere? Act. 6. 9.

MEDITATIO VI.

De obligationibus DEUM amandi, eique serviendi.

QUia Deus est prima ac suprema Essentia. Quia ipse manibus suis formavit me. Quia creavit me, ut ipsum diligerem. Quia eripuit me ex inferno. Quia vitam suam mihi donavit. Quia redemit me sanguine suo. Quia nutrit me carne suâ. Quia animat me spiritu suo. Quia promittit mihi Beatitudinem

nem ſuam. Quia ab æterno dilexit me. Quia comulavit me beneficiis infinitis. Quia remiſit mihi ſcelera infinita. Quia ſe totum mihi dono largitur. Quia totus, quantus ſum, omni jure illi ſubjectus ſum. Quia non ſubſiſto niſi per ejus gratiam. Quia ipſe mei amore exardeſcit. Quia unicè deſiderat me pari ſecum felicitate beatum efficere.

Amabo itaque Deum ex toto corde meo. Non ſerviam alteri Domino, quàm ipſi. Adimplebo omne ejus beneplacitum. Gloriæ ejus me totum conſecrabo. Mi Deus! Opto, ut vivere deſinam, niſi vitam omnem unicè tuis obſequiis velim impendere. Deſtrue meum eſſe, niſi velim tuus eſſe. Everte deſideria mea, ſi quid aliud deſiderem præter te.

Verba S. Scripturæ.

Servus meus es tu. Iſai. 41. 9.

Tuus ſum ego. Pſal. 128. 94.

Sive vivimus, ſive morimur, Domini ſumus. Rom. 14. 8.

Non eſtis veſtri, empti enim eſtis pretio magno. 1. Cor. 6. 19. & 20.

O Domine! quia ego ſervus tuus, & filius ancillæ tuæ. Pſal. 115. 16.

MEDITATIO VII.

Cogitationes utiles ad mentem à mundo avellendam.

QUis me introduxit in hunc mundum? Cur vivo in hoc mundo? Quid ago in hoc mun-

mundo? Quâ quiete fruor in hoc mundo? Quando emigrabo ex hoc mundo? Quò ibo, cùm diſcedendum mihi erit ex hoc mundo? Quid me feciſſe optabo, cùm per mortem egreſſurus ero ex hoc mundo?

Ergóne ob caduca fallacis mundi bona, perperàm dilecta, æternis torquebor incendiis? ſi perdam animam meam, quid mihi proderit lucrum totius mundi? Et tamen interea omnis labor meus unicè intentus eſt comparandis perfidi mundi bonis.

O mi Deus! aut eripe me ex hoc mundo, aut avelle cor meum à vanitatibus mundi. Effice, ut mundus moriatur mihi, aut ut ego moriar mundo. Separa animam meam à corpore ſuo, aut tolle à me noxium mundi amorem.

Verba S. Scripturæ.

Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Matth. 16. 26.

Vos de hoc mundo eſtis: ego non ſum de hoc mundo. Joan. 8. 23.

Pater juſte, mundus te non cognovit. Joan. 17. 25.

De mundo non eſtis. Joan. 15. 19.

MEDITATIO VIII.

De morte.

MOrieris aliquando. Non niſi ſemel tantùm morieris. Neſcis, quando ſis moritu-

turus. Neſcis, quomodo ſis moriturus. Neſcis, quo loco ſis moriturus. Neſcis, quo in ſtatu ſis moriturus. Morieris citiùs, quàm tibi perſuadeas. Niſi mortem ſollicitè præmediteris, mors improviſa te obruet.

Mors eſt talis, vita qualis. Non addiſcitur uno momento, quod nunquam antè fuit tractatum. Non dediſcitur uno momento, quod ſemper antè fuit in uſu.

Poſt mortem ſupremo ſiſteris Judici. Poſt judicium migrabis in æternitatem. Quid tunc optabis feciſſe? Quid tibi proderunt caduca mundi bona, tot curis conquiſita?

O Mors! O Judicium! O Salus! O Æternitas. Mortuus ſum, niſi seriò mortem præcogitem. Amens ſum, niſi Æternitatem præmediter. Non mereor ſalvari, niſi timeam damnari.

Verba S. Scripturæ.

Ecce propè ſunt dies mortis tuæ. Deut. 31. 14.

O mors! quam amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis. Eccli. 41. 1.

Neſcit homo finem ſuum. Eccle. 9. 12.

Statutum eſt hominibus ſemel mori. Hebr. 9. 27.

Et vos eſtote parati, quia quâ horâ non putatis, filius hominis veniet. Luc. 12. 40.

Diſpone domui tuæ, quia morieris tu. Iſa. 38. 1.

MEDITATIO IX.

De Morte Justorum.

O Quàm jucundum eſt mori illis, quos vivere non delectat! Sine afflictione relinquitur, quod ſine adhæſione poſſidetur. Suavis mors illi eſt, qui nullum in hac vita quæſivit ſolatium. Anima ſine dolore migrat è domicilio, quod nunquam libenter incoluit. Acceptabile eſt divortium illis, qui ſe mutuò non diligunt. Quod perditè amas in vita, afflictio tibi erit in morte. Quod te affligit in vita, ſolatium tibi erit in morte.

Quid poteſt in morte affligere animum, à rebus omnibus, dum viveret, ſponte avulſum? Fortis eſt, ut mors, dilectio. Prævertit nempe dilectio id, quod morti alioquin foret præſtandum. Separat anima à ſuo corpore, nec quidquam morti ſeparandum relinquit. Quid neceſſe eſt? violentiam à morte inferri animo, qui nulli creaturæ hæret affixus? Theſaurus meritorum ſanctis Virtutum actibus comparatus, bonum eſt, quod animo eripi non poteſt. Pretioſa ſanè hæreditas, quâ mors ſpoliare te non valet. O quantum tibi morienti erit ſolatium, vitam bonis operibus exegiſſe!

Nihil pulchri eſt in hac vita, niſi oſtium pulchrum, per quod inde egrediaris. Inter omnia bona, quæ deſiderari ab homine poſſunt, maximum eſt, ſanctè mori. Mors neutiquam illi eſt formidanda, qui bene vixit.

Mors

Mors namque eſt finis certaminum ejus. Eſt corona meritorum ejus. Deus in die illa mala conſervat animam ſibi fidelem. Jubet illam quieſcere in fine ſuo. Munit illam gratiâ ſuâ. Mitigat dolores ejus. Diſſipat terrores ejus. Angelis ſuis mandat, ut ſolentur illam, & protegant. Ut illam in pace conſervent, atque ad Paradiſum deducant.

O quàm pretioſa eſt in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus! O quàm honorabile Deo eſt hoc ſacrificium! O quàm acceptabilis Deo eſt hæc victima! Mi Deus, poteróne ſperare bonam mortem, cùm vitam usque adeò perverſam egerim? Verum eſt, perdidi innocentiam meam, quam tamen reparare poſſum per pœnitentiam. Ah! Vivam vitâ juſtorum, ut mori poſſim morte juſtorum.

Verba S. Scripturæ.

Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Apoc. 14. 13.

Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis ſuæ benedicetur. Eccli. 1. 13.

Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus. Pſal. 115. 15.

His fieri incipientibus, reſpicite, & levate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra. Luc. 21. 28.

In lætitia egrediemini, & in pace deducemini; montes & colles cantabunt coram vobis laudem, &c. Iſa. 55. 12.

MEDITATIO. X.

De Morte Peccatorum.

MOrs eſt grande malum. Gravius malum eſt peccatum. Sed mors juncta peccato eſt malorum omnium terribiliſſimum. Eſt malum univerſale. Eſt malum æternum. Eſt malum ſine remedio. Eſt comminatio maximè terrifica, quam Deus irritatus poteſt intentare.

O quàm formidanda eſt mors impiorum! Conſternantur horrore, cùm ſe ex improviſo vident conſtitutos in ultima linea temporis, quod tam impiè diſſipàrunt. Cùm ſe advertunt jamjam abripi in carcerem æternitatis, ex quo nulla eſt redemptio.

Incipere videre, quod nunquam fuerat ſpectatum. Incipere comprehendere, quod nunquam fuerat cogitatum. Incipere experiri, quod nunquam fuerat apprehenſum. Incipere ſentire, quod nullo experimento fuerat præcognitum. Incipere pati cruciatus æternitati commenſos. Deſertâ patriâ deliciarum, ingredi locum tormentorum. Deſcendere ex paradiſo in profundum inferni. Tranſire ab opulentia ad extremam indigentiam. Præcipitari ex throno gloriæ in abyſſum confuſionis. O quàm terribilis eſt hæc mutatio! O quàm dura eſt hæc calamitas! O quàm hæc novitas eſt improviſa! O quàm hic caſus eſt expaveſcendus!

Quod

Quod in justis accendit desiderium, impiis incutit terrorem. Homo justus nihil ardentiùs desiderat, quàm comparere in conspectu Dei. Homo impius nihil magis formidat, quàm sisti in conspectu Dei. Quantus horror erit impio videre se coram Deo, quem irritavit? Coram Patre, quem injuriis affecit? Coram Rege, quem despectui habuit? Coram Amico, quem perfidè prodidit? Coram Belli Duce, quem turpiter deseruit? Coram Sponso, cui fidem fregit? Coram Judice, quem atrociter offendit? Coram Salvatore, quem sceleribus suis in crucem egit? Nihil magis reformidat impius, quàm metuendum irati Judicis aspectum, quem tamen minimè poterit subterfugere.

Tunc intuebitur omnia sua flagitia, quæ insurgent ad ipsum accusandum. Videbit dæmones truculenter illi inhiantes. Videbit supra se Judicem irâ succensum, fulminantem æternæ damnationis sententiam. Videbit infra se patentem inferni puteum, in quem mox erit præcipitandus. Videbit retro se mundum, à quo turpiter fuit deceptus. Videbit ante se bona sua perditè amata, jamjam ipsi eripienda. Videbit juxta se creaturas, quæ ipsi fuêre occasiones peccandi. Videbit intra se corpus suum jamjam deserendum.

O JEsu Crucifixe! Quàm conspectus tuus consolabitur tunc justos! Quàm conspectus tuus consternabit tunc impios! Quomodo audebunt in te respicere, quem crucifixerunt? Omnia tua vulnera sanguine diffluent in præsentia tam crudelium tuorum carnificum.

Et

Et qualis erit mors mea? talis qualis vita tua fuit. Moriárne morte Justorum? Omnino, si vivas vitâ Justorum. Moirárne morte impiorum? Omnino, si vivas vitâ impiorum. Vivam itaque deinceps in gratia, ut moriar in pace. Vivam sanctè, ut moriar tranquillè. Vivam in pœnitentia, ut moriar in securitate.

Verba S. Scripturæ.

Mors peccatorum pessima. Psalm 33. 22.

Virum injustum mala capient in interitu. Psalm 139. 12.

Cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei circumdabit me. Psal. 48. 6.

Relinquent alienis divitias suas, & sepulchra eorum domus illorum in æternum. Psal. 48. 12.

Mortuus est & dives, & sepultus est in inferno. Luc. 16. 22.

Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. Luc. 13. 3.

MEDITATIO XI.

De Judicio.

DEUS est oculus, qui videt omnia. Est auris, quæ audit omnia. Est manus, quæ scribit omnia. Non video, & tamen videor. Non intelligo, & tamen intelligor. Non cognosco, & tamen cognoscor. Ocu-

lus, qui omnia detegit, tectus est. Auris, quæ audit omnia, latet abſcondita. Manus, quæ ſcribit omnia, eſt inviſibilis.

Nihil perditur, nihil exerrat. Omnia ex tempore tranſeunt ad æternitatem. Quod tranſiit, revertetur. Quod amiſſum credebatur, reperietur. Crimen ſepultum reſuſcitabitur. Id, quo tempus malè prodigitur, non tranſibit cum tempore.

Omnia diſcurientur, ſine exceptione. Omnia judicabuntur, ſine perſonarum acceptione. Omnia condemnabuntur, ſine remiſſione. Omnia punientur, ſine commiſeratione.

Heu mi DEUS! Ubi me abſcondam, quando ad tribunal evocabor? Quid reſpondebo, quando interrogabor? Quid de me fiet, quando judicabor? Quid feciſſe optabo, quando condemnabor?

Venite ad me, benedicti Patris mei? O verba amabilia! Diſcedite à me maledicti; O verba terribilia: Nos ipſi ſcribimus in hâc vitâ ſententiam, quæ tunc pro nobis, aut contra nos pronuntiabitur. Heu me infelicem! quando manifeſtabuntur crimina mea. Heu me infelicem! quando manifeſtabuntur arcana cordis mei. Heu me infelicem! quando dicetur: En hominem, & bona, quæ ipſi præſtiti: En hominem, & mala, quæ contra me commiſit.

Verba S. Scripturæ.

Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti. Rom. 14. 10.

Omnes

Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unusquisque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum. 2. Cor. 5. 10.

Cuncta, quæ fiunt, adducet Dominus in judicium. Eccle. 11. 9.

In fine hominis denudatio operum ejus. Eccli. 11. 29.

Si juſtus quidem vix ſalvabitur, impius & peccator ubi parebunt? 1. Pet. 4. 18.

MEDITATIO XII.

De Inferno.

INfernus eſt carcer Juſtitiæ DEI. Eſt armamentarium vindictæ ejus. Eſt terminus furoris ejus. Eſt centrum malorum omnium. Eſt puteus profundus mortis, nunquam moriturae. Eſt regnum Dæmonum. Eſt patria deſperatorum. Eſt regio lacrymarum. Eſt locus tormentorum. Eſt terra maledictionis. Eſt exilium ſine ſolatio. Eſt jactura ſine recuperatione. Eſt labor ſine quiete. Eſt dolor ſine fine, Eſt malum ſine remedio.

Ibi homo erit ſeparatus à DEO. Homo erit maledictus à DEO. Homo odio habebitur à DEO. Deus illum odio habebit, nec poterit eum amare. Odium ejus erit infinitum. Odium ejus erit irreconciliabile. Odium ejus erit univerſale. Odium ejus erit æternum.

In Cœlo erunt omnia, quæ amabis. In inferno erunt omnia, quæ deteſtaberis. In Cælo erunt puræ delectationes. In inferno erunt puri dolores. In Cælo nullius rei erit indigentia. In inferno erit indigentia rerum omnium.

O rerum viciſſitudo expaveſcenda! Impius fugit Deum in terrâ, quem tamen ubique reperit. Quærit Deum in inferno, nec tamen unquam illum inveniet. Quid dico: Fugiet Deum? Heu! reperiet eum ubique, nec tamen unquam illum amabit. Dei præſentia efficit Paradiſum. Dei præſentia efficit infernum. Maxima pœna reprobi eſt, Deum ubique præſentem habere, ſed irritatum.

O æternitas! quàm longa es! O æternitas! quàm terribilis es! O nunquam, quod nunquam finietur! O ſemper, quod ſemper durabit! O præſens, quod ſemper cohæret cum præterito! O præteritum, quod ſemper cohæret cum futuro. O æternitas! an nunquam te formidabimus? O æternitas! an nunquam te animo comprehendemus? Si te ſemper mente revolveremus, nunquam peccaremus.

Verba S. Scripturæ.

Terram miſeriæ, & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. Job. 10. 22.

Inutilem ſervum ejicite in tenebras exteriores Ibi erit fletus & ſtridor dentium Matth. 25. 30.

Qui

Qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis ejus. 2. Theſſ. 1. 9.

Pones eos, ut clibanum ignis in tempore vultûs tui: Dominus in irâ ſuâ conturbabit eos, & devorabit eos ignis. Pſal. 20. 10.

Peccator videbit, & iraſcetur; dentibus ſuis fremet, & tabeſcet: deſiderium peccatorum peribit. Pſal. 111. 10.

MEDITATIO XIII.

De duplici Æternitate.

VIvere ſemper & nunquam mori. Mori ſemper & nunquam vivere. Poſſidere omnia, & nihil deſiderare. Deſiderare omnia, & nihil poſſidere. Semper quieſcere, & nunquam laborare. Semper laborare, & nunquam, quieſcere. Semper lætari, & nunquam triſtari. Semper triſtari, & nunquam lætari. Semper Deum amare, & nunquam poſſe illum odio habere. Semper Deum odiſſe, & nunquam poſſe illum amare. En! quæ ſit hæreditas bonorum. En! quæ ſit pœna impiorum.

O quàm amabilis eſt Paradiſus! O quàm horribilis eſt infernus! O quàm fallax eſt mundus! O quàm cæcus eſt homo! O quàm breve eſt tempus! O quàm longa eſt æternitas! Longum non eſt, cujus extremum conſpicitur. Breve non eſt, cujus nullum apparet extremum.

Verba S. Scripturæ.

Ibunt hi in ſupplicium æternum: Juſti autem in vitam æternam. Matth. 25. 46.

Utinam ſaperent, & intelligerent, & noviſſima providerent! Deut. 32. 29.

Vermis eorum non morietur. & ignis eorum non extinguetur. Iſai. 66. 24.

Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis ejus. Matth. 25. 41.

Venite Benedicti Patris mei, &c. Matth. 25. 34.

MEDITATIO XIV.

De peccato mortali.

QUid feci? Offendi Majeſtatem infinitam. Injuriâ affecti Perfectiones infinitas. Deſtruere conatus ſum Bonitatem infinitam. Violavi obligationem infinitam. Commiſi igitur injuſtitiam infinitam. Mereor itaque pœnam infinitam.

Deus odit peccatum, quantùm poteſt odiſſe. Odit peccatum, quantùm amat Filium ſuum. Odit peccatum, quantùm amat ſemetipſum. Odit peccatum unicè. Odit infinitè. Odit neceſſariò. Odit eſſentialiter. Æterno illud odio perſequetur.

Et ego amo id, quod Deus odit. Quantùm in me eſt, ita illud amo, ſicut Deus odit

odit. Illud amo unicè, quòd ille odit unicè. Amo immodicè, quod ille odit infinitè. Amo liberè, quod ille odit necessariò. Amo constanter, quod ille æterno odio persequetur.

Persequar deinceps peccatum eo odio, quo debeo. Tanto illud odio persequar, quanto amore meipsum, & Deum prosequi debeo.

Abominabor peccatum unicè, infinitè, necessariò, constanter, æternùm.

Verba S. Scripturæ.

Altissimus peccatores odio habet, & impiis reddet vindictam. Eccli. 12. 3. & 4.

Quid fecisti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terrâ. Gen. 4. 10.

Deus propitius esto mihi peccatori. Luc. 18. 13.

Anima, quæ per superbiam aliquid commiserit, sive civis ille sit, sive peregrinus, quoniam adversus Deum rebellis fuit, peribit de populo suo. Num. 15. 30.

Odio sunt Deo impius & impietas ejus. Sap. 14. 9.

Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? nam & finis illorum mors est. Rom. 8. 21.

MEDITATIO. XV.

De peccato veniali.

MAgna culpa eſt, quæ Deo adverſatur. Magna injuria eſt, quæ Deo infertur. Omne peccatum veniale DEUM ignominiâ afficit. Offendit Sanctitatem Dei. Contriſtat ſpiritum Dei. Frigeſcere facit amorem Dei. Imminuit gratias Dei. Seducit nos à recto tramite Divinæ gubernationis.

Magìs contemno Deum unico peccato veniali, quàm honorare illum poſſim omnibus bonis operibus. Conſultius eſt, abſtinere vel ab uno peccato veniali, quàm bona opera omnis generis exercere. Peccatum vulnerat, & deformat animam meam. Obſcurat intellectum meum. Debilitat voluntatem meam. Commovet paſſiones meas. Committendo peccata modica, periculo me expono patrandi grandia. Habitus venialis peccati ſenſim ſine ſenſu deducit ad mortale.

O quantùm te contempſi, Deus Majeſtatis! O quantùm te afflixi, Deus Bonitatis, O quantis injuriis te affeci, Deus Sanctitatis!

Anima mea! time malum, quod deducit ad mortem. Cave peccata modica, ſi velis, evitare grandia. Modico cælum comparatur: ſed & modico cælum deperditur. Peccatum veniale damnare te non poteſt; interim tamen à leviſſimo peccato damnatio frequenter ſumit exordium.

Verba S. Scripturæ.

Qui in modico iniquus eſt, & in majori iniquus eſt. Luc. 16. 10.

Ecce quantus ignis, quàm magnam ſilvam incendit? Jac. 3. 5.

Nolite contriſtare Spiritum Sanctum. Epheſ. 4. 30.

Qui ſpernit modica, paulatim decidet. Eccli. 19. 1.

De omni verbo otioſo, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die judicii. Matth. 12. 36.

MEDITATIO XVI.

De Pœnitentia.

AUt infernus, aut Pœnitentia. Non ſunt niſi duæ vitæ ad æternitatem, lata, & arcta. Lata deducit ad infernum. Arcta deducit ad cælum. Lata eſt planior. Arcta eſt aſperior. Lata frequentatur â plurimis. Arcta à paucis teritur.

In quâ tu progrederis? Ambulas in via lata. Vivis ſecundùm morem communem. Non imitaris niſi vitia aliorum. Non imitaris aliorum virtutes. Non obſecundas niſi pravis inclinationibus tuis. Non ſequeris niſi cupiditates tuas indomitas. Horres arctam ſalutis ſemitam, ſemper declinas ad laxiorem viam perditionis. Audax es ad peccandum; ſed non animoſus ad agendam pœnitentiam.

Quam niſi promptè agas, ſubitò morieris. Niſi illam agas in tempore, ſerò nimis illam ages in æternitate.

O mi Deus! noli mihi parcere in tempore, dummodo mihi parcas in æternitate.

Verba S. Scripturæ.

Facite fructus dignos pœnitentiæ. Luc. 3. 8.

Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis. Luc. 13. 3.

Intrate per anguſtam portam; quia lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam. Matth. 7. 13.

Quam anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inveniunt eam. Ibidem 14.

Pœnitentiam agite, appropinquavit enim Regnum Cælorum. Matth. 3. 2.

MEDITATIO XVII.

De Converſione non differenda.

NIſi pœnitentiam agas, non ſalvaberis. Niſi promptè ac celeriter illam agas, fortè nunquam ritè illam perages. Non habebis ſemper hoc tempus. Non habebis ſemper hanc gratiam. Non habebis ſemper hanc voluntatem. Qui abutitur tempore, privatur tempore. Qui abutitur gratiâ, priva-

vatur gratiâ. Qui abutitur suâ libertate, privatur suâ libertate.

Cur differs conversionem tuam? Decétne te malum esse, quia Deus bonus est? Deine patientia causa sit protervitatis tuæ? Num ejus Justitia serviat iniquitati tuæ?

Peccare cum spe obtinendæ veniæ, est peccare per temerariam fidentiam. Est conservare vitium per gratiam, quâ illud deberet destrui. Est nutrire peccatum, per remedium, quo deberet extingui. Est mutare pœnitentiam in fulcrum suæ impœnitentiæ.

Cur differs id, quod aliquando est faciendum? Quod cras cum fructu peragi poterit, an non & hodie fructuosè peragetur? Túne certò tibi promittas vitam crastinam? Habebisne die crastinâ eandem gratiam? Habebísne cras eandem voluntatem? Ergóne negotium æternitatis fundandum est in incertitudine futuri temporis?

Id, quod fieri potest, certò fiet, si Deus non impediat. Dæmon certè vitam tibi abrumpet, nisi Deus ejus conatum impediat.

Morimur, sicut viximus. Mors est Echo vitæ. Quomodo odisse poteris in morte, quod totâ vitâ amâsti? Quomodo amabis in morte, quod totâ vitâ odisti? Latro salvatus est, ne desperes. Sed non nisi unus salvatus est, ne justo fidentiùs tibi pœnitentiam promittas.

Dicis, te à re nulla urgeri. Et ego assero, te ab omnibus urgeri. Tempus, quod tibi elabitur, urget te. Gratia, quæ te excitat, urget te. Paradisus, qui tibi panditur,

urget

urget te. Infernus, in quem præceps abis, urget te. Mors, quæ tibi minatur, urget te. Judicium, quod imminet, urget te.

O mi Deus! Stultum nimis eſt, differre id, quod nimis citò fieri non poteſt. Inſanum eſt, continuo exercere id, quod fieri nunquam debet. Nolo expectare craſtinum, quia certus non ſum de vita in craſtinum protrahenda. Vita mea tota quanta, tua eſt, mi Deus! Cur tibi non niſi modicam ejus partem impendam? Tu mihi indulges tempus ad te amandum; an æquum eſt, ut illo abutar ad te offendendum? Si offeram Sacrificium Caini, reprobabor ſicut ipſe. Nunquam ſatis providere quis ſibi poteſt de ſecuritate, quando agitur de æternitate.

Verba S. Scripturæ.

Convertere ad Dominum, & relinque peccata tua. Eccli. 17. 21.

An divitias Bonitatis ejus, & Patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit. Rom. 2. 4.

Pœnitemini igitur, & convertimini, ut deleantur peccata veſtra. Act. 3. 19.

Non tardes converti ad Dominum; & ne differas de die in diem: Subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te. Eccli. 5. 8.

Viro, qui corripientem ſe durâ cervice contemnit, repentinus ei ſuperveniet interitus. Prov. 29. 2.

Me-

MEDITATIO XVIII.

De Conditionibus veræ Pœnitentiæ.

VEra pœnitentia ortum trahere debet ex imo cordis. Cor peccatum concepit, quod proin à corde rurſum eſt deſtruendum. Cor longè receſſit à Deo; Cor ergo reverti debet ad Deum. Odium procedit ex amore. Nemo odit, niſi quia amat. Tantùm quis odit, quantùm amat. Quare odiſſe debeo peccatum tantùm, quantùm debeo amare Deum. Tantùm, quantùm debeo amare meipſum. Tantùm, quantùm debeo amare Paradiſum. Tantùm, quantùm debeo timere infernum. Deum unicè amare debeo; ergo peccatum debeo unicè odiſſe. Omnia debeo amare propter Deum. Ergo omnia debeo odiſſe propter peccatum. Deum amare debeo ſuper omnia. Ergo peccatum debeo odiſſe ſuper omnia. Non poſſum excedere in amore Dei. Neque poſſum excedere in odio peccati.

Pœnitentia nihil prodeſt, niſi ſit de omnibus peccatis. Si gratia non deleat omnia peccata, nullum delet. Non poteſt quis ſolùm ex parte Deo reconciliari. Non poteſt quis ſimul amari, & odio haberi. Non poteſt quis in peccato ſimul exiſtere & in gratiâ. Non poteſt quis Dei ſimul eſſe, ac Dæmonis. Non poteſt quis Cælo dignus ſimul eſſe ac inferno. Si quis non credit omnia, nihil credit. Si

quis

quis non odit omnia, nihil odit. Ut ſis filius Eccleſiæ, oportet credere omnes veritates. Ut ſis filius Dei, oportet odiſſe omnia peccata. Saul excipit aliqua, & hæc eſt cauſa perditionis ejus. Inimicus Dei factus eſt, quia vivum ſervavit unum hoſtium ſuorum. Quid prodeſt tibi, vincere unum peccatum, ſi alterius ſis mancipium? Quid prodeſt tibi, deflere iracundiam tuam, ſi mancipium ſis impudicitiæ tuæ? Satis eſt unum vulnus lethale, ad vitam corpori adimendam. Satis eſt unum peccatum mortale, ad vitam animæ tollendam.

Homo nequaquam eſt pœnitens, qui pœnitere non vult, niſi pro aliquo tempore. Oportet ſemper odiſſe malum, quod ſemper odio habetur à Deo. Amicitia non cenſetur diſſoluta, quam quis ſtatuit renovare. Eſtne hoc odiſſe peccatum, velle illud iteratò committere? Eſtne hoc veram habere contritionem, aliqualem tantùm ſentire averſionem?

Poteſt quis odiſſe peccatum ſuum, etiamſi non ſentiat odium. Poteſt quis ſentire dolorem, etiamſi non habeat verum dolorem. Is verè odit peccatum, qui decrevit illud deſtruere. Pœnitentia ſincera non eſt, ſi occaſiones peccandi non fugiat. Si ames cauſas peccati, peccatum pariter amas.

Non ſatis eſt, peccata odiſſe. Oportet & damna reparare. Oportet reddere bona, iniquo titulo parta. Reſtituere honorem, proximo ablatum. Reparare ſcandala, aliis data. Satisfacere illis, qui fuêre offenſi. Oportet per dolorem caſtigare delectionem, quam quis

quis peccando hausit. Deus in pœnitentiam transfert jus, quod ipse habet, puniendi peccatorem. Si pœnitentia parca sit in pœnis injungendis, Justitia Dei parca non erit. Si pœnitentia severè puniat crimina, justitia Dei non puniet.

O mi Deus! quàm justas causas habeo timendi, ne adhuc hæream in statu peccati! Odióne illud habui sincerè? in fine anni is ipse sum, qui fui à principio? Ah! statuo vitam mutare. Mi Deus! Muta, obsecro, cor meum. Da mihi spiritum novum, ut vitam deinceps novam instituam.

Verba S. Scripturæ.

Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, aufferte Deos alienos de medio vestri. 1. Reg. 7. 3.

Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur. Prov. 28. 13.

Convertimini ad me in toto corde vestro, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra: Convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus est, & misericors, patiens, & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia. Joël. 2. 13.

Anania, cur tentavit Sathanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri? Non es mentitus hominibus, sed Deo. Act. 5. 3.

Non est reversa ad me, prævaricatrix in toto corde suo, sed in mendacio. Jer. 3. 10.

Proji-

Projcite à vobis omnes prævaricationes vestras, & facite vobis cor novum, & Spiritum novum, & quare moriemini, Domus Israël? Ezech. 18. 31.

MEDITATIO XIX.

De Fuga Occasionum, & malarum Societatum.

INcassum te abscondis, quia societas tua facilè prodit, qualis sis. Simile simili gaudet. Talis es, quales sunt illi, quorum consuetudine frequentiùs uteris. Si admittas perversas societates, credi facilè potest te esse flagitiosum, aut saltem quòd paulò pòst similis futurus sis illis, quibuscum crebriùs verseris.

Bonum exemplum efficit homines bonos. Malum exemplum efficit malos. Ignorantia, & verecundia sunt duo propugnacula innocentiæ. Multa crimina ignorares, nisi ea ab aliis committi vidisses. Exhorresceres peccatum, si nemo illud patrare te docuisset. Exemplum splendorem conciliat sceleri. Suadet illud justum esse ac licitum. Auctoritatem sceleri tribuit, & quasi necessitatem. Erubescit quis esse innocens in societate malorum. Nemo erubescit peccatum, quod exemplo coronatur Vanum est, sperare, te bonum futurum inter malos. Malum facillimè contrahitur, quia natura in illud propendet. Imitatur id, quod ab aliis videt patrari. Nititur in vetitum. Non semper sanus est, qui vivit

vivit cum ſanis. Sed facilè morbum contrahit, qui converſatur cum ægris.

Deſcende in infernum, & intuere execrabiles illas victimas, Audi lamentabiles illorum ejulatus. Inquire cauſas infelicitatis eorum. Nullus reproborum erit, qui non multis cum lacrymis reſpondebit: Exemplum pravum me perdidit. Societas perverſa me damnavit.

Placere cupimus illis, quos amamus. Frequenter converſamur cum illis, qui genio noſtro præ aliis arrident. Nunquam placebis vitioſis, ſi non pariter cum illis ſis vitioſus.

At nihil, inquis, ego mali perpetro. Semper innocens maneo ovicula, tametſi vivam in medio luporum. Semper conſervo dulcedinem aquæ in medio ſalſi maris. Semper reſpiro aërem innoxium in domo peſte infectâ. Ego autem affirmo, te eſſe mortuum, niſi credas te eſſe ægrotum. Potéſtne absque peccato amari occaſio peccandi? An non grande malum eſt, ſcandalum proximo datum? Quis credere poſſit, te eſſe caſtum inter laſcivos? Saltem non diu perſeverabis eſſe caſtus. Exemplum eſt magiſter peſſimus. Citò addiſces perpetrare ſcelus, quod ab aliis videris patrari. Occaſio te alliciet. Societas te abripiet. Tentatio incrementum capiet. Timor imminuetur. Gratia infirmabitur. Pudor extinguetur. Natura ſuccumbet. Habitus invaleſcet. Voluntas obdureſcet. Ecce progreſſum iniquitatis. Ecce viam impœnitentiæ. Ecce terminum impietatis.

O Anima Chriſtiana! devita occaſiones. Fuge pravas Societates. Noli amare illos, quos imitari non licet. Noli imitari illos, quos amare non licet. Noli placere illis, qui diſplicent Deo. Procul diſcede ab illis, qui longè recedunt à Deo. Fuge perſonas contagioſas. Evita occaſiones periculoſas. Gratiam habes, illas non adeundi. Gratiam habes, te ab illis ſubtrahendi. Habebísne etiam gratiam, inter illas ſine peccato commorandi? An non arrogantis præſidentiæ ſcelus eſt, gratiam ſibi promittere in occaſione peccandi ſtudiosè quæſitâ? Saltem perquam infirma erit gratia, & inimicus tuus admodum robuſtus erit. Eſt canis alligatus catenâ. Mordet nos, ſi appropinquemus. Expectat nos oblata occaſione. Si eò ſponte te conferas, (Anima temeraria!) ſuccumbes tentationi. Qui amat periculum, peribit in illo.

Verba S. Scripturæ.

Noli eſſe amicus homini iracundo, neque ambula cum viro furioſo, ne fortè diſcas ſemitas ejus. Prov. 22. 24.

Qui tetigeris picem, inquinabitur ab eæ, & qui communicaverit ſuperbo, induet ſuperbiam. Eccli. 13. 1.

Qui ſe jungit fornicariis, erit nequam. Eccli. 19. 3.

Si quis inter vos eſt fornicator, cum huiusmodi cibum non ſumite. 1. Corinth. 5. 11.

Qui amat periculum, in illo peribit. Eccli. 3. 27.

Rece-

Recedite à tabernaculis impiorum, & nolite tangere, quæ ad eos pertinent, ne involvamini peccatis eorum. Num. 16. 26.

Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te; expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam. Matth. 5. 29.

Denunciamus vobis, fratres, in Nomine Domini JESU Chriſti, ut ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè. 2. Theſſ. 3. 6.

MEDITATIO XX.

De bona & mala Conſcientia.

O Quàm bonum eſt, Deo ſervire! O quàm jucundum eſt, Deum amare! Quàm bonus eſt Deus amantibus ſe! Quàm terribilis eſt Deus offendentibus ſe! Quàm felix eſt bona conſcientia! Quàm infelix eſt mala conſcientia! Quantis gaudiis innatat cor ſanum; Quantâ triſtitiâ abſorbetur cor ægrum! Quanta quies in anima bona! Quanta perturbatio in anima impia!

Conſcientia juſti, eſt Paradiſus. Conſcientia peccatoris eſt infernus. Deus poſſidet animam juſtam. Dæmon poſſidet animam ſceleratam. Homo probus nihil timet. Homo improbus metuit omnia. Homini juſto bene convenit ſecum ipſo. Homini ſceleſto male convenit ſecum ipſo. Homo virtutis

ſtudioſus, libenter moratur ſecum ipſo, quia omnia interiora ejus ſunt in pace. Homo impius horret ingredi in ſeipſum, quia omnia interiora ejus ſunt perturbata. Homo juſtus vitam plùs æquo non diligit. Homo peccator nihil magìs metuit, quàm mortem.

O quàm dulcis eſt virtus! O quàm vitium eſt amarum! O quàm pretioſa eſt mors Juſtorum! O quàm horribilis eſt mors peccatorum! Ah! amabo Deum in tempore, ut amare illum valeam in æternitate. Vitam nunc ſanctam inſtituam, ut ſperare poſſim mortem beatam.

Verba S. Scripturæ.

Peccatum meum contra me eſt ſemper. Pſal. 50. 5.

Non eſt pax impiis, dicit Dominus. Iſa. 48. 22.

Secura mens, quaſi juge convivium. Prov. 15. 15.

Tribulatio, & anguſtia in omnem animam hominis, operantis malum. Rom. 2. 9.

Infernus domus mea eſt. Job. 17. 13.

Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. 2. Cor. 1. 12.

MEDITATIO XXI.

De Pace Animi.

OPtarem equidem in pace vivere. Quæ causa eſt, quòd pace non fruar? Nónne, quia nimiùm indulgeo ſenſibus meis? Nón-

Nónne, quia nimis adhæreo voluntati meæ? Nónne, quia repugno ſuperioribus meis? Nónne, quia nihil pati ſuſtineo? Nónne, quia ambitio me inflat? Nónne, quia invidia me torquet?

Nónne, quia Deo bellum moveo? Nónne, quia reſiſto voluntati ejus? Nónne, quia me oppono Providentiæ ejus? Nónne, quia volo, quod ille non vult? Nónne, quia nolo, quod ille vult? Quis poteſt in pace vivere, ſi Deo bellum moveat? Quis poteſt contentus quieſcere, ſi malè cum Deo conveniat!

O anima mea! ſi contra Deum inſurgis, Deus quoque contra te inſurget. Si perturbes pacem ejus, perturbabit ille quietem tuam. Si cuſtodias mandata ejus, mandata ipſius te pariter cuſtodient. Si perturbes diſpoſitionem ejus, diſpoſitio ejus te pariter conturbabit. Nihil deſidera, & habebis omnia. Imple Voluntatem Dei, & Deus tuam pariter adimplebit.

Verba S. Scripturæ.

Voluntatem timentium ſe faciet, Pſalm. 244. 19.

Unde bella & lites in vobis? Nónne hinc, ex concupiſcentiis veſtris? Jac. 4. 1.

Gloria in altiſſimit Deo. & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis. Luc. 2 14.

Pacem meam do vobis; non turbetur cor veſtrum. Joan. 14. 27.

Pax multa diligentibus legem tuam. Psal. 118. 165.

MEDITATIO XXII.

De vanis Desideriis.

NUm contenta vivis anima mea? Quid desideras super terram? An Deus tibi non sufficit? Nunquid ipse est omnis tua felicitas? Quando, obsecro, fruebaris quiete absque illo? Et quando inquieta eras cum illo? Quid quæris præter Deum? Quid satiare te potest, si Deus tibi non sufficit?

Desideria tua sunt tyranni tui. Illa te reddunt infelicem. Illa cor tuum discerpunt.

O quàm felix esses, si nihil desiderares! Quid lucraris desideriis tuis? Vanis desideriis cælum præclusum est. Hæc sunt dæmones inferni. Hæc torquent damnatos. Cessa desiderare, & liber exibis ab inferno tuo.

O mi Deus! Omnis abundantia extra te, egestas mihi est. Omnis dulcedo amarities mihi est. Avarum nimis est cor, cui Deus non sufficit.

Verba S. Scripturæ.

Radix omnium malorum est cupiditas. 1. Tim. 6. 10.

Desiderium peccatorum peribit. Ps. 111. 10.

Desideria occidunt pigrum. Prov. 11. v. 25.

Omne desiderium averte à me. Eccli. 23. 5.

Ne tradas me, Domine, à desiderio meo peccatori. Ps. 139. 9.

Mar-

Martha, Martha, ſollicita es, & turbaris erga plurima. Luc. 10. 41.

MEDITATIO XXIII.

De Tepiditate.

HEu! quàm infelix eſt anima tepida! Deus illi jam non ſapit. Caret Divinis ſolatiis. Exerrat à ſemitis Divinæ Providentiæ. Peccat ſine timore. Mala perpetrat ſine remorſu. Horret in ſeipſam reverti.

Ægra eſt, nec ſentit vim mali. Perverſa eſt, & credit ſe bonam. Mancipium cupiditatum eſt, & liberam ſe credit. Abutitur omnibus remediis. Rejicit omnes inſpirationes. Inſenſibilis eſt ad omnes gratiæ motus. Devotionem nihili pendit. Proximis eſt offendiculo. Communitati moleſta eſt. Gravis eſt cordi Dei, è quo jamjam eſt ejicienda fortè nunquam deinceps intra illud reditura.

Súmne ego in ſtatu, uſque adeò miſerabili(Calidúsne ſum, an frigidus? Súmne totus Dei? An dimidiâ tantùm ex parte? Anima ergo mea eſt tepida.

O Divine Salvator, quanto tempore jam te affligo, quanto tempore cor tuum premo! Ah! noli me adhuc evomere. Noli me privare amore tuo. Repelle me, ſi ita tibi libeat, à Paradiſo tuo; ſed noli me ejicere è corde tuo. Retrahe bona tua ab anima mea: Sed non ſubtrahe mihi amorem tuum. Heu!

plùs timeo odium & aversionem tuam, quàm omnes pœnas inferni.

Memento, anima mea, felicissimi illius ftatûs, ex quo excidisti. Reftaura fervorem tuum priftinum. Quod nisi quantocyùs facias, tolletur candelabrum tuum, & alius in locum tuum fubftituetur. JEsus: te incipiet evomere è corde suo, intra quod fortè nunquam deinceps recipieris.

Verba S. Scripturæ.

Utinam frigidus esses, aut calidus! sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo. Apoc. 3. 15. & 16.

Spiritu ferventes. Rom. 12. 11.

Memor esto, unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac: Sin' autem, veniam tibi citò & movebo candelabrum tuum de loco suo. Apoc. 2. 5.

MEDITATIO XXIV.

De Odio Mundi.

MUndus eft fallax. Oportet eum contemnere. Nihil præftat eorum, quæ promittit. Bona illius vera non sunt. Non sunt solida. Non sunt pura. Non sunt duratura. Non possunt replere cor. Non possunt satiare mentem. Moleftas generant sollicitudines. Nec unquam quietem indulgent. An unquam ftabili fruebaris quiete, quamdiu mundo eras ab obsequiis?

Oportet odisse mundum, quia est inimicus JEsu Christi. Quia est fautor dæmonis. Quia est tyrannus virtutis. Qui amat mundum, credit axiomata mundi. Non credit effata Evangelii. Ergo non nisi nomine, Christianus est; corde autem est infidelis. Dæmones credunt Deum, & contremiscunt. Sed non credunt in Deum, quia non faciunt voluntatem ejus. Amator mundi credit Deum, sed non credit in Deum. Sathan credit, & contremiscit. Amator mundi credit, & illudit. Deterior ergo est dæmone. Quicunque est amicus sæculi hujus, inimicum Dei se profitetur. Estne hoc esse fidelem Regi suo, amare hostes ejus?

Fugiendus est mundus. Societas ejus periculosa est. Neque in eâ quis potest securè vivere. Mundus est mare plenum scopulis. Mundus judicatus est. Mundus condemnatus est. Mundus maledictus est. Mundus excommunicatus est. His expensis, poterísne adhùc commercium habere cum mundo? Satiùs est, odio haberi ab impiis, quàm amari. Si mundo adhæreas, morieris in peccato tuo.

Cur vis diligere mundum? An ille te creavit? An ille te redemit? An ille te salvabit? JEsus dicit, se non esse de hoc mundo: Et tu dicis, te esse de hoc mundo. Ergo non es Discipulus JEsu Christi.

An non renuntiâsti mundo, quando fuisti baptizatus? Renuntiâsti fallaci mundo, antequam haberes usum rationis. Et nunc eum adoras, cùm polles usu rationis. Renuntiâ-

ſti illi, antequam utereris libertate; & modò cum plenâ libertate eum diligis. Certè ſi in primo mundi ingreſſu uſum rationis habuiſſes, utique baptizari recusâſſes.

O JESU! Quot mundus cultores habet, & quàm paucos tu numeras tuo addictos obſequio! Decipit mundus omnes homines, & omnes illi ſerviunt. Tu neminem decipis; nec tamen quisquam tibi obedit.

O mi Deus! Ego Chriſtianus ſum. Fides me docet contemnere mundum, & non adorare. Malo eſſe parvus cum humili JESU, quàm eſſe magnus cum mundo ambitioſo. Malo plorare cum JESU afflicto, quàm gaudere cum mundo delicioſo. Malo carere omnibus cum paupere JESU, quàm poſſidere omnia cum mundo ſcelerato.

Verba S. Scripturæ.

Væ mundo à ſcandalis! Matth. 18. 17.
Ego non ſum de hoc mundo. Joan. 8. 23.
Nunc judicium eſt mundi. Joan. 12. 31.
Non pro mundo rogo. Joan. 17. 9.
Confidite, ego vici mundum. Joan. 16. 33.
Qui diligit mundum, Charitas Patris non eſt in eo. 1. Joan. 2. 15.

Quicunque voluerit amicus eſſe ſæculi bujus, inimicus Dei conſtituitur. Jac. 4. 4.

MEDITATIO XXV.

De parvo numero Electorum.

QUando diluvium inundavit universam terram, non nisi octo homines in arca salvati sunt. E sexcentis millibus armatorum non nisi duo Jordanem transierunt. Agri undique frumento seminati vix quarta pars fructus reddit. Ex multis, qui in stadio currunt, non nisi unus accipit bravium.

Via inferni lata est, & plurimi hominum illam tenent. Via Paradisi arcta est, & pauci eam inveniunt.

Deus omnes homines vult salvos fieri, neque unquam illos deserit, nisi ipse priùs deseratur. Nemini denegat suam gratiam. Cur ergo tam pauci salvantur?

Quia natura nostra corrupta est. Quia semper tendit ad infima. Quia nulla naturæ infertur violentia. Quia delectationibus sensuum fræna laxantur. Quia dolosa mundi axiomata adorantur. Quia non agitur pœnitentia. Aut quia non agitur debito, quo agenda est, modo. Quia serò nimis inchoatur. Quia differtur ad extremum vitæ terminum, quando viribus jam deficientibus, scelera patrari ultrà non possunt.

Deus contemnit morientes, qui eum contempsêre viventes. Dæmon retinet morientes, quos possedit viventes.

Raro in senectute exuuntur pravi habitus in juventute contracti. Plerique secum deferunt

ferunt ad ſepulchrum vitia primæ ſuæ ætatis. Penetrant intima oſſium, & cum impio ſub cineribus dormiunt.

O mi Deus! an ſalvus ero, an damnatus? Si ſalvandus ſim, id fiet ex gratia tua. Si damnandus ſim, id accidet ex culpa mea. Nihil enim mihi deeſt ad conſequendam ſalutem. Quid feciſſe optabo moriturus? Quanta pœnitudo me torquebit in inferno? An longum nimis eſt modicum tempus, quo me præparem ad æternitatem?

Verba S. Scripturæ.

Intrate per anguſtam portam: quia lata porta & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam. Quàm anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam! Et pauci ſunt, qui inveniunt eam. Matth. 7. 13.

Contendite intrare per anguſtam portam. Luc. 13. 24.

Multi ſunt vocati, pauci verò electi. Matth. 20. 16.

Perditio tua ex te Iſraël: tantummodo in me auxilium tuum. Oſeæ 13. 9.

Quid eſt, quod debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci ei? Iſ. 5. 4.

Oſſa ejus implebuntur vitiis adoleſcentiæ ejus, & cum eo in pulvere dormient. Job. 20. 11.

MEDITATIO XXVI.

De Scandalo, aut malo Exemplo.

EXemplum pravum, eſt peſſimus magiſter. Docet malum illos, cui id ignorant. Perſuadet peccatum illis, qui id exhorreſcunt. Expeditum efficit ſcelus illis, qui id formidant. Vitium commendat illis, qui id odio habent. Grandibus illud prædicat, velut honorificum. Inculcat illud, ut neceſſarium, parvis. Suadet illud, ut licitum, bonis. Reddit illud acceptabile impiis.

Profligatæ vitæ peccator plus mali efficit, quàm ſanctiſſimus quisque boni præſtet. Exemplum pravum plures damnat, quàm ab omnibus ſacris Oratoribus ad ſalutem perducti fuerint.

Ignorantia eſt pars innocentiæ. Vix unquam quis malum patraret, niſi id ab aliis patrari conſpiceret. Erubeſcit quis eſſe bonus, quando verſatur inter malos.

Non niſi quæ perfecta & abſoluta ſunt, producunt ſibi ſimilia. Oportet eſſe exquiſitè ſceleratum, ut quis alios pervertat. Vulgatæ nequitiæ homo eſt quidam Anti-Chriſtus. Eſt magiſter iniquitatis. Eſt corruptor innocentiæ. Eſt peſtis bonorum morum. Eſt vicarius dæmonis. Eſt executor voluntatis ejus.

Manifeſtæ improbitatis homo evertit imperium JEſu Chriſti. Extendit regnum Luciferi,

ri, ſub cujus vexillo militat. Ad cujus caſtra plurimos adducit. Trucidat innocentiam. Damnat animas fratrum ſuorum. Tot ſcelera committit, quot ab aliis ejus hortatu, aut exemplo patrantur. Tot ex cauſis damnabitur, quot ille homines damnavit. Tot gehennæ patietur incendia, quot animas eò præcipitavit.

O anima protervè ſcelerata! Quid JESUS in te commiſit, ut eum perſequaris? Quid proximus tuus mali tibi intulit, ut eum orco tranſcribas? An tu ideo nequam es, quia ipſe bonus eſt? An ideo malum illi machinaris, quia innocens eſt? An non ſat multa crimina accumulâſti, ut aliorum quoque ſceleribus te velis onerare? Quam quietem habebis in inferno, ubi tot habebis carnifices, quot peſſimis exemplis tuis eò deturbaſti.

O mi Deus! Ignoſce mihi propria peccata mea, neque imbuta mihi crimina aliorum. Hactenus tyrannus fui. Sed deinceps martyr ero. Vixi hactenus inſtar dæmonis. Vivam deinceps inſtar Angeli. Unicè hactenus laboravi, ut perderem animas. Laborabo deinceps totis viribus, ut illas ſalvem. Non ero unquam de ſalute meâ ſecurus, niſi tot ſalvem animas, quot antè damnavi. Non ſum natus tantùm propter me ipſum. Proximo etìam meo obſtrictus ſum. Vita mea non eſt neceſſaria niſi mihi. At fama de me bona, aliis quoque eſt neceſſaria. Mihi debeo pudicitiam. Sed ingenuum pudorem ac verecundiam debeo toti mundo.

Ver-

Verba S. Scripturæ.

Væ mundo à scandalis! Matth. 18. 7.

Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus & demergatur in profundum maris. Matth. 18. 6.

Si scandalizaverit te manus tua, abscinde illam: bonum est tibi, debilem introire in vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem. Marc. 9. 42.

Væ illi, per quem scandalum venit! Luc. 17. 1.

MEDITATIO XXVII.

De Pœnitentia exteriori, & Mortificatione.

NIhil magis alteri est unitum, quàm anima corpori. Nihil minùs alteri est unitum, quàm anima corpori. Quando unum progreditur, alterum retrogreditur. Quando unum ascendit, alterum descendit. Quando unum est sanum, alterum est ægrum. Quando unum est robustum, alterum est infirmum. Non sum homo, si obediam indomitis cupiditatibus meis. Non sum Christianus, nisi bellum moveam pravis affectionibus meis. Non sum pœnitens, nisi acriter comprimam erumpentes animi motus. Incertus sum, utrùm remissa mihi sint peccata mea. Incertus sum, utrùm pœna mihi sit condonata. Incertus sum, utrùm Deus non me

me ſit caſtigaturus afflictione ſpiritûs. Incertus ſum, utrùm Deus me non ſit puniturus pœnâ corporis. Si mihi parcam, Deus mihi non parcet. Si ſponte me caſtigem, Deus me non puniet. Si me odio habeam, Deus me amabit. Si me amam, Deus odio me habebit-

Caſtigabo deinceps corpus meum, ut ſim prædeſtinatus. Oppugnabo hunc inimicum Dei, ut merear coronari. Mortificabo ſenſus meos, ut vivam vitâ ſpiritûs. Crucifigar cum JESU, ut reſuſciter cum JESU. Averſabor corpus meum, niſi plagas habeat, ut corpus JESU. Quia ipſe horreo me affligere, libens tolerabo plagas, à Deo mihi infligendas.

Anima Chriſtiana! Effice è corpore tuo victimam viventem, & morientem. Coërce perturbationes tuas, ſenſus tuos, deſideria tua. Affli̇ge te in omni tempore, in omni loco, in omnibus rebus. Pœnis ſponte ſuſſceptis ſubige corpus cum moderatione & prudentia. Dona Deo carnem tuam, & ille tibi donabit Spiritum ſuum.

Curam habe exteriorum, & illi curæ erunt interiora tua. Fac, quod facile tibi accidit, & ille præſtabit, quod arduum tibi eſt. Progredere, dum potes; & ille te portabit, cùm progredi ultrà non poteris.

Verba S. Scripturæ.

Caro concupiſcit adversùs Spiritum, & Spiritus adversùs carnem. Gal. 5. 17.

Qui

Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Rom. 8. 8.

Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis. Gal. 5. 24.

Si secundùm carnem vixeritis, moriemini. Rom. 8. 13.

MEDITATIO XXVIII.

De Excellentia Mortificationis.

QUid est Mortificatio? Est mors amoris quæ vitam tollit sceleratam. Quæ avellit animam à sensibus. Quæ eam separat à suo corpore. Quæ illi tribuit vitam Spiritus.

Quid est mortificatio? Est sacrificium amoris. Cujus Sacerdos est Spiritus sanctus. Corpus est victima. Cor est Altare. Tribulatio est gladius. Amor est ignis. Gloria est fructus.

Quid est mortificatio. Est martyrium amoris sine crimine, & sine tyranno. Minùs cruentum, quam martyrium fidei, sed magis prolixum, & magìs molestum; magìs liberum, & magìs voluntarium; magis honorificum, & magìs innocens; magìs tædiosum, & magis constans.

Quid est mortificatio? Est continuatio Sacrificii JESU, quo completur id, quod deest passioni ejus. Quæ corpora nostra efficit membra ejus. Quæ nos animat Spiritu ejus. Quæ nos participes efficit dolorum ejus. Quæ nobis meretur thesaurum gratiæ ejus. Quæ nos disponit ad thronum Gloriæ ejus.

O utinam moriar morte juſtorum, ut vivam vitâ juſtorum! O utinam evadam victima amoris, ut moriar morte amoris!

Verba S. Scripturæ.

Obſecro vos, Fratres, per miſericordiam Dei, ut exhibebatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem. Rom. 12. 1.

Quotidie morior. 1. Cor. 15. 31.

Chriſto confixus ſum Cruci. Gal. 2. 19.

Adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne meâ, pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia. Col. 1. 24.

Si Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Rom. 8. 13.

MEDITATIO XXIX.

De utilitate, & neceſſitate Tentationum.

BOnum purificatur à malo. Furentium ven-
torum turbo corroborat arbores. Ventus
ſegregat à tritico paleas. Ignis excoquit au-
rum. Nix terram calore fovet. Pugna pro-
bat virtutem. Infirmitas conſervat humilita-
tem. Tentatio auget charitatem. Nihil eſt,
cui non aliud adverſetur. Bellum producit
pacem. Omnia ſubſiſtunt per oppoſitionem.
Nunquam ſalvus eris, niſi per tentationem.
Niſi tenteris, non es prædeſtinatus. Niſi
pugnes, non coronaberis. Niſi impugneris,
jam devictus es.

Cer-

Certamen hoc molestum quidem est; sed necessarium. Exercitium præbet virtuti tuæ. Comparat tibi coronas. Id, quod animat repugnantem conatum tuum, coronabit patientiam tuam. Sensus nihil nocet, ubi animus non præstat consensum.

Deus tecum est, quid times? Fortior es inimico tuo. Non potest te vincere, nisi volentem. Non potest te mordere, nisi sponte appropinquantem.

Principiis obsta, & sollicitè observa tentationis initia. Ora Deum assiduè. Occasiones devita. Fortiter insiste tuis propositis. Consilium pete in tuis dubiis. Auxilium quære in tuis certaminibus. Cælum conscende, ut videas thronum tibi vincenti paratum. Descende in infernum, ut consideres locum tibi succumbenti destinatum.

Fortè ab hac pugnâ pendet salus tua. Ex hoc momento pendet æternitas tua. Ex hac victoria pendet vita tua. Ex hac tentatione pendet prædestinatio tua.

O JEsu! mi Rex! pugno propter te, & coram te. Tu es spectator laborum meorum. Tu es testis infirmitatum mearum. Non sustine, ut tuus sim proditor. Non permitte, ut me perdam. Exurge Domine Deus exercituum.

Veni extemplò in auxilium meum. Defende me contra hostes tuos. Dissipa illos, qui oderunt.

Verba S. Scripturæ.

Qui non est tentatus, quid scit? Eccli. 34. 9.

In igne probatur aurum, & argentum: homines verò receptibiles in camino humiliationis. Eccli. 2. 5.

Omne gaudium existimate, fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis. Jac. 1. 2.

In paucis vexati, in multis bene disponentur. Sap. 3. 5.

MEDITATIO XXX.

De Causis nostrarum Tentationum.

QUæ sunt causæ mearum tentationum? Quia arrogans es, & superbus. Aut quia non seriò custodis sensus tuos. Aut quia non evitas occasiones. Aut quia contraxisti pravos habitus. Aut quia non vivis ordinate. Aut quia deseruisti vocationem tuam. Aut quia cor tuum creaturis adhæret. Aut quia non satis es occupatus.

Quia homo es. Quia Christianus es. Quia desideras felicitatem consequi.

Cur dæmon me tentat? Quia odit imaginem Dei. Quia invidet homini. Quia sibi illum vult mancipare. Quia cupit habere socios suæ damnationis. Quia vult possidere cor tuum. Quia vult conscendere thronum Dei. Quia vult prophanare Templum Dei. Quia vult à te adorari. Quia vult crucifigere JESUM

Chri-

Chriftum. Quia vult renovare ignominias ejus. Túne obfecundabis defideriis ejus? Túne fatisfacies perverfis cupiditatibus ejus? Hoc autem toties agis, quoties tentationi confentis.

Cur Deus me permittit tentari? Propter fuam gloriam, & majus tuum bonum. Vult explorare amorem tuum. Vult tibi ingenerare intimam fui ipfius cognitionem. Vult experiri virtutem tuam. Vult te continere in debita fubjectione. Vult te inftruere ad pugnam. Vult exftimulare fegnitiem tuam. Vult te avellere à creaturis. Vult te obligare, ad opem ab ipfo efflagitandam. Vult tibi occafionem præbere, beatitudinem promerendi.

O mi Salvator! jam non miror, me tentari, cùm tu quoque fueris tentatus. Bonum eft, ut cognofcam te. Bonum eft, ut cognofcam me.

Agnofco, quòd tentatio me impediat, quò minùs temerè præfidam.

Tenta me, mi Deus! Proba me. Vide, num ulla in me fit iniquitas. Ah! noli, noli me tentare. Heu! Agnofco infirmitatem meam. Libera me potiùs à tentatione mea. Aut faltem robora me contra tentationem meam. Dæmon æquè tibi infenfus eft, ac mihi. Defende te in me, & per me.

Verba S. Scripturæ.

Tentavit Deus Abraham. Gen. 22. 1.

Nolite timere, ut enim probaret vos, venit Deus. Exod. 20. 20.

Tentat vos Dominus Deus vester, ut palàm fiat, utrùm diligatis eum, an non. Deut. 13. 3.

Anania, cur tentavit satanas cor tuum? Actor. 5. 3.

Unusquisque tentatur à concupiscentiâ suâ abstractus, illectus. Jac. 1. 14.

Deus tentavit eos, & invenit illos dignos se. Sap. 3. 5.

MEDITATIO XXX.

De Perturbationibus animi, & Anxietatibus mentis.

O Quantùm me torquent pessimæ cogitationes! Et cur, obsecro, inde affligeris? Timeo, ne consentiam.

Si times, non consentis. Timor tuus securum te debet reddere. Sed lapsus sum, inquis, in peccatum. Oportet ergo prompte inde resurgere. Deus irâ contra me exarsit. In tua potestate est, eum placare.

Progredere majori cum diligentiâ. Labora majori cum fidelitate. Confitere sine dilatione. Humilia te sine perturbatione. Malum unum non reparatur alio malo. Peccatum non sanatur peccato.

Tentatio hæc admodùm importuna est. Ita sanè: sed necessaria tibi est. Continet te in humilitate. Efficit, ut pergas Deo subjectus esse. Obligat te ad orandum. Impedit nimiam tui præfidentiam. Sine tentatione non po-

potes probari. Sine certamine non potes coronari. Sine cruce non potes ſalvari.

O mi Deus! aſſiſte mihi auxilio tuo, & dæmones non timebo, licèt omnes contra me inſurgerent. Non ſum, niſi infirmitas, ſine te. Tecum autem non ſum, niſi fortitudo. Si habeo, unde me perdam, tu habes, unde me ſalves.

Verba S. Scripturæ.

Non turbetur cor veſtrum. Joan. 14. 1. & 27.

Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, ut tentatio probaret te. Tob. 12. 13.

Fidelis Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentation proventum, ut poſſitis ſuſtinere. 1. Cor. 10. 13.

Beatus vir, qui ſuffert tentationem. Jac. 1. 12.

MEDITATIO XXXII.

De Inclinationibus Naturæ.

AMare ex inclinatione ac propenſione naturæ, eſt amare, ut amant beſtiæ. Amare eum inclinatione, eſt amare, ut amant homines. Amare ſine inclinatione, eſt amare, ut amant Chriſtiani. Amare contra ſuam inclinationem, eſt amare, ut amant Sancti.

Charitas Chriſtiana complectitur totum mundum. Motivum ejus eſt unicum, & uni-

versale. Si amem propter Deum illum, in quem propenso sum animo, amandus mihi pariter erit, qui genio meo adversatur. Uterque est creatus à Deo. Uterque factus ad imaginem Dei. Uterque redemptus sanguine Dei. Uterque vocatus ad gloriam Dei.

Non est necesse, omnes homines æquali amore diligi. Necessarium tamen est, nullum hominem odio haberi. Amicitiæ particulares, sunt odia universalia. Uniones ex naturali inclinatione ortæ, sunt scismata, & hæreses cordis. Quantùm afficeris erga unam personam, tantùm te avertis ab omnibus aliis.

Si totum te impendas uni personæ, nihil obsequii præstas cæteris omnibus, committis injustitiam. Negas illis, quod ipsis debes, saucias charitatem. Dividis unitatem. Contemnis regularem observantiam. Offendis communitatem. Fugis solitudinem. Horres conversari coram Deo. Committis plurima peccata. Mens tua est sine collectione. Cor tuum sine devotione. Preces tuæ sine gustu. Communiones tuæ sine fructu. Vita tua sine pace. Labores tui sine merito.

O mi Deus! quantùm in morte exhorrescerem, si cognoscerem, quòd te non amassem. Si non amem omnes fratres meos, ne vel unum quidem propter te amo. Si aversionem ab uno foveam, neque charitatem erga omnes alios habeo. O quàm tempus malè prodigitur! O quàm noxiæ sunt privatæ familiaritates! O quot colloquia peccaminosa!

Propter te, mi Deus! Amabo omnis generis homines. Amabo amicos meos, & inimicos meos. Amabo cognatos meos, & extraneos. Amabo divites, & pauperes. Amabo magnos & parvos. Amabo pari charitate suaves & morosos, hilares & tetricos. Amabo illos, qui bona mihi præstant. Amabo & illos, qui mala mihi inferunt. Quia omnes sunt tibi subjecti. Quia omnes sunt filii tui. Quia omnes sunt membra tua. Quia omnes diligis. Quia existis in omnibus. Quia mihi imperas, ut omnes diligam.

Verba S. Scripturæ.

Non est acceptio personarum apud Deum. Rom. 2. 11.

Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos, & injustos. Matth. 5. 45.

Non accipies personam. Deut. 16. 19.

Nunquid non Pater unus omnium nostrûm? Nunquid non Deus unus creavit nos? Quare ergo despicit unusquisque nostrûm fratrem suum? Malach. 2. 10.

Hi sunt, qui segregant semetipsos, animales spiritum non habentes. Judæ vers. 19.

MEDITATIO XXXIII.

De animo ab aliis averso.

VUlnera cordis sunt lethalia. Odium occidit charitatem. Nobilissima ex omnibus victoriis est, triumphare effrenes animi ab aliis aversi motus. Amare amicum, est

virtus Pagani. Amare inimicum, eſt virtus Chriſtiani.

Fortior eſt hæc dilectio, quàm omnes aliæ. Quia debellat hoſtem potentiſſimum, innatam ſcilicet animi abalienationem ab iis, qui genio noſtro minùs videntur conformes. Eſt amor amplior, quam omnes cæteri, quia amplectitur amicum & inimicum. Eſt amor purior, quàm omnes alii, quia unicè propter Deum inimicus diligitur. Eſt amor divinior, quàm omnes alii, quia ex ſolo naturæ dictamine nemo diligit inimicum. Eſt amor magìs meritorius, quàm omnes alii. Quia nihil magis arduum, quàm inimicum diligere.

Deus amat omnia, quæ fecit. Solum peccatum Deus averſatur. Creaturæ, quæ ſibi mutuò adverſantur, in mente Dei quieſcunt in pace. Deus nullam habet antipathiam, quia eſſentia ejus eſt infinita. Magnæ animæ nullas fovent inimicitias. Dominantur omnibus objectis. Non ſunt diviſæ ex diverſitate materiæ.

Intra cor illorum omnia verſantur in pace. Solum peccatum nullam illic quietem habet. Quia Sanctitati repugnat. Amor proprius diviſus eſt. Amor Divinus non dividitur. Inclinatio naturæ præfixos habet certos limites. Charitas ſine limite, complectitur omnia. Amare omnia præter peccatum, eſt amare ex charitate. Eſt eſſe ſimilem Deo. Eſt habere cor æquè amplum, ac cor Dei.

O quàm felix eſſem, ſi certò ſcirem, me Deum verâ charitate diligere! Non poſſum

veræ charitatis certius habere indicium, quàm ſi amem inimicos meos propter Deum. Si diligam illos, qui moleſtias mihi creant. Si beneficiis cumulem illos, qui mihi negant. Si amem illos, qui me odio habent. Si illos benevolo affectu proſequar, à quibus naturalem ſentio averſionem. Tunc enim verò tam certus, ſum, quàm eſſe poſſum, quòd Deum ſincerè diligam. Quòd omnia peccata mea ſint mihi remiſſa, quia propter illum diligo inimicos meos.

O mi Deus & Domine mi! volo meum erga te amorem teſtatum facere, amando propter te illos, qui nihil habent amabile, benefaciendo illis, qui mihi inferunt mala. Converſando cum illis, qui mihi adverſantur. Aſſociando me illis, quos durum eſt mihi etiam intueri. Hinc, mi Deus! cognoſces, quòd ſim filius tuus, quòd ſim diſcipulus tuus. Quòd non vivam ſecundùm genium meum. Et quòd te diligam ex toto corde meo.

Verba S. Scripturæ.

Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nónne & Publicani hoc faciunt. Matth. 5. 46.

Si ſalutaveritis fratres veſtros tantùm, quid ampliùs; facitis? nónne & Ethnici hoc faciunt? Matth. 5. 47.

Amen dico vobis, quamdiu non feciſtis uni de minoribus his, nec mihi feciſtis. Matth. 25. 45.

Diviſum eſt cor eorum, nunc interibunt. Oſ. 10. 2.

ME-

MEDITATIO XXXIV.

De immodicâ sui Fiduciâ.

QUis es tu, qui arrogantiùs ſentis de te ipſo? Quis antè fuiſti? Quis modò es? Quis eris aliquando? Scis, quòd peccaveris: ſed neſcis, an peccata tua ſint tibi remiſſa. Scis, quòd Deum offenderis: ſed neſcis, utrùm veniam ab eo obtinueris. Scis, quòd perdideris gratiam: ſed neſcis, utrùm eam recuperâris.

Sed, inquis, jam fui confeſſus peccata mea. Fuítne autem bona confeſſio tua? Fuítne integra? Fuítne conjuncta cum dolore? Fuítne dolor ille ſupernaturalis? Fuítne ſincerus? Fuítne de omnibus peccatis? Fuitne ex toto corde elicitus? Fuítne pro totâ vitâ? Num viſus es mutare mores tuos? Num verus eſt dolor, qui, ubi primùm conceptus eſt, ſtatim moritur? Nullius quidem culpæ tibi conſcius es, ſed non per hoc juſtificatus es. Non oportet quidem inquietè turbari de præterito, ſed neque juſto fidentiùs ſentiendum eſt de futuro.

Quis modò es? Poſſidéſne Dei gratiam? An nihil culpæ lancinat conſcientiam tuam? Cor hominis eſt valde reconditum. Spiritus Dæmonis eſt admodùm callidus. Vitia imitantur virtutes. Cupiditates turbant cognitionem. Facilè quis ſibi perſuadet, quod amat, innocenter à ſe amari. Nullus ſibi ipſi hoſtis eſt. Omnia defendimus, quæ amamus. Reputa-

putamus quædam peccata esse tantùm venialia, cùm tamen quandoque sint mortalia. Judicantur quandoque leves esse detractiones, quæ tamen calumniæ sunt gravissimæ. Bonum, quod operaris, non certò scis, an sit bonum. Quocunque in statu degas, certò compertum non habes, utrùm degas in statu bono. Ad hoc, ut actio quævis sit bona, necesse est, illam procedere ex bona intentione. Hanc autem quis cognoscit? Plures descendunt in Egyptum, credentes se ascendere Jerosolymam. Plures obnoxii sunt illusionibus, credentes se versari in contemplatione. O quàm dolosum est cor humanum! Solus Deus illud potest intimè perscrutari. Non oportet ergo tibi nimiùm adulari, neque falsa tibi de teipso persuadere.

Quis deinceps eris? Num securus es de perseverentia? Poterisne spondere constantiam voluntatis tuæ? Heu! quoties illa te decepit! Nunc securitatem tibi præstat voluntas Dei? Vult quidem ille efficaciter te salvare. Sed te oportet ejus auxiliis cooperari. Obligatúrne Deus, tibi elargiri omnis generis gratias? Debétne ille privilegiis cumulare arrogantis, & præfidentis animi homines? Peccata modica disponunt ad grandia. Salus quandoque pendet à minimis rebus. Quamdiu vivimus super terram, possumus ad cælum conscendere. Sed quamdiu non versamur in Cælo, possumus prolabi in infernum. Nullam invenio securitatem, nisi in humilitate, & obedientia. Lapsus magnorum me reddet parvum in oculis meis, Ruina superborum humilem me efficiet. O De-

O Deus meus, Spes mea! Ne, quæſo, me tradas ſpiritui arrogantiæ. Omnia tolle à me, non multùm moror; dummodo humilitatem mihi relinquas. Subtrahe mihi talenta tua, quæ non peto; dummodo poſſideam charitatem. Si me intuear, non reperio niſi cauſas timendi. Si te conſiderem, copioſa habeo argumenta ſperandi. Heu! ego decipio meipſum: Sed tu non me poteris unquam decipere. Ego ſæpè mihi malum expeto. At tu ſemper deſideras bonum meum. Salus mea tutior eſt in manibus tuis, quàm in meis. Semper itaque mihi ipſi diffidam. Ac ſemper deinceps in te confidam. Quisquis vivit ſive diffidentiâ ſui, graviter ſe decipit, ſi ſecurum de ſalute ſe eſſe credit.

Verba S. Scripturæ.

Neſcit homo, utrùm amore, an odio dignus ſit. Eccli. 9. 1.

Pravum eſt cor omnium, & inſcrutabile; quis cognoſcet illud? Jer. 17. 9.

Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum. 1. Cor. 4. 4.

Fide ſtas? Noli altum ſapere? ſed time. Rom. 11. 20.

Humiliamini igitur ſub potenti manu Dei. 1. Pet. 5. 6.

MEDITATIO XXXV.

De bono usu Temporis.

TEmpus eſt pretioſum. Tempus eſt breve. Tempus eſt irreparabile. Pretioſum eſt: quia omnia ejus momenta valent æternitatem. Breve eſt; quia non durat diutiùs, quàm vita noſtra. Irreparabile eſt; quia, quod tranſiit, nunquam redit.

Quid proderit tibi, vixiſſe in deliciis, ſi moriturus ſis in peccato? Quid proderit tibi, tranſegiſſe tempus voluptuoſè vivendo, ſi infelix ſis futurus in omnem æternitatem? Tempus conceſſum tibi eſt, ut curam geras ſalutis tuæ. Neque tibi supereſt niſi modicum temporis. Ecce mors appropinquat. Ecce æternitas accelerat gradum. Ecce vita dilabitur. Ecce ſanitas deficit. Ecce judicium tuum imminet. Stulte! hac nocte animam tuam repetent à te, & quæ parâſti, cujus erunt? Cui bonus erit, qui ſibi ipſi nequam eſt? Tu deſiderabis poſt mortem vel unicum momentum temporis, cujus magnam partem vanis oblectationibus diſſipas. Dolebis poſt mortem maximè jacturam temporis, quod modò inutiliter prodigis.

Age itaque, tempus omne utiliter tranſige. Fructuoſè impende pretioſa momenta. Redime tempus malè deperditum. Præſenti ſanctè utere. Diſpone ſapienter de futuro. Curam habe ſalutis tuæ. Salva animam tuam.

An-

Angelus juravit per viventem in ſæcula ſæculorum, quia tempus non erit ampliùs.

O mi Deus! dona mihi adhuc modicum temporis, & ego plenè tibi ſatisfaciam. Heu! mereor equidem privari tempore, quo tamdiu turpiter abuſus fui. Deinceps autem rectus temporis uſus ſummæ mihi curæ erit. De nulla re magis ero ſollicitus, quàm de ſalute mea. Reparabo tempus amiſſum, & bene impendam, quod mihi eſt reliquum.

Verba S. Scripturæ.

Sublati ſunt ante tempus. Job. 22. 16.

Ne impiè agas multum, & noli eſſe ſtultus, ut non moriaris in tempore non tuo. Eccli. 7. 18.

Tempus breve eſt. 1. Cor. 7. 29.

Redimentes tempus. Epheſ. 5. 16.

Juravit per viventem in ſæcula ſæculorum, quia tempus non erit ampliùs. Apoc. 10. 6.

Ergo, dum tempus habemus, operemur bonum. Gal. 10. 6.

MEDITATIO XXXVI.

De perſecutionibus.

NUM boni te perſequuntur? Examina te, an non cauſam dederis. Num mali te perſequuntur? Gaude, quòd moribus ab illis diſcrepes. Nemo poteſt placere Deo, & hominibus. Nemo poteſt amari à bonis, & malis.

Si

Si cupiam hominibns placere, displicebo JESU Christo. Si ab impiis odio habear, amicus ero JESU Christi.

Persecutio intentata ab impiis nos promovet ad Cælum. Avellit nos à creaturis. Continet nos in officio. Impedit, ut non nimiùm nos effundamus in exteriora. Juvat internam animi collectionem. Purgat nos à vitiis. Virtutes, si quas habemus, roborat. Tædium affert præsentis vitæ. Accendit mortis desiderium. An DEO adhæreres, si mundus te amâsset? An Deum exquisivisses ex toto corde tuo, si mundus te non repulisset? Deus est, qui legem ponit creaturis. Ille prohibet ipsis, ne tibi blandiantur. Ille mandat, ut te reiiciant. Ille imperat, ut te repellant.

Deus totum mundum armat contra te, ut te compellat ad auxillum ab ipso petendum. Ille terram spinis operit, ne tu in terrâ quietem captes. Ille quidem non potest velle peccatum; vult tamen effectum peccati. Odio habet persecutorem; sed amat illum, qui persecutionibus impetitur.

O mi Deus! quam admirabilis est sapientia tua! quàm amabilis est Providentia tua! Si me nunquam vulnerâsses, nunquam fuissem sanatus. Si spinis me non undique circumdedisses, longè à te fugitivus discessissem. Non essem jam tuus, si mundus me blanditiis suis allexisset. Essem jam contra te, si mundus non fuisset contra me. O quantùm obstrictus sum odio mundi! O quantùm obligatus sum tuo amori! O quàm fuisti mihi sua-

viter ſeverus! O quàm amanter me fuiſti perſecutus!

Verba S. Scripturæ.

Imple facies eorum ignominiâ & quærent Nomen tuum Domine. Pſal. 82. 17.

Domine in anguſtiâ requiſierunt te. Iſa. 26. 16.

Sepiam viam tuam ſpinis. Oſ. 2. 6.

Eritis odio omnibus gentibus propter Nomen meum. Matth. 24. 9.

Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam. Matth. 5. 10.

MEDITATIO XXXVII.

De neceſſitate Afflictionum & Perſecutionum.

NUlla ſalus eſt ſine cruce. Nullum meritum ſine patientia. Nulla victoria ſine certamine. Nulla virtus ſine exercitio.

Aqua ſtagnans corrumpitur. Caro ſine ſale putreſcit. Ferrum ſine uſu rubiginem contrahit. Equus ſine calcaribus ſubſiſtit immotus.

Quàm miſerabilis es, ſi nullâ affligaris miſeriâ! Quomodo martyr eris, ſi tyrannum non habeas? Quomodo Chriſtianus eris, ſi nullam perſecutionem patiaris? Quomodo ſalvus eris, ſi nullam ſuſtineas tribulationem?

JEſus odio fuit habitus ab impiis, & tu vis amari? JEſus acriter fuit exagitatus, & tu

tu vis in deliciis haberi? JEsus fuit ludibrio habitus à mundo, & tu vis honoribus cumulari? Oportet te aut Martyrem esse, aut tyrannum; aut persecutorem, aut persecutionibus impetitum.

O JESU! Tu solus mecum sis, & totus mundus sit contra me. Plùs amo odium, quàm amicitiam impiorum. Plùs amo persecutionem, quàm blandimenta illorum. Nolo placere illis, qui tibi adversantur. Gaudeo me displicere illis, quibus neque tu potes placere.

Cùm tolero persecutiones, habeo signum prædestinationis meæ. Cùm tyranni me oppugnant, in censum martyrum venio. Cùm impii me persequuntur, incipio esse è numero justorum.

Verba S. Scripturæ.

Per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei, Act. 14. 21.

Si quid patimini propter justitiam, beati. 1. Pet. 3. 14.

Communicantes Christi passionibus, gaudete, ut in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. 1. Pet. 4. 13.

Omnes, qui piè volunt vivere in Christo JEsu, persecutionem patientur. 2. Tim. 3. 12.

MEDITATIO XXXVIII.

De respectu Humano.

DIsplicere Deo, ex metu displicendi hominibus. Omittere bonum ex timore perversorum. Credere in JEsum Christum, & erubescere Evangelium ejus. Dissimulare fidem, quando eam oportet profiteri. Est esse apostatam, & infidelem. Est esse Christianum nomine, & opere infidelem.

Sunt quidam Apostatæ corde. Alii Apostatæ ore. Alii Apostatæ opere & actione. Tu non es apostata corde: Sed es apostata ore. Tu non es apostata verbo? sed es apostata opere. Et hoc sufficit ad tuam damnationem.

Non sufficit ad salutem, fidem habere in corde. Oportet eam etiam verbis testari. Non sufficit eam verbis profiteri sed necesse etiam est, eam operibus comprobare. Dissimulare fidem, ubi occasio est eam profitendi, est renuntiare suæ Religioni.

Si confitearis JESUM coram hominibus, confitebitur te coram Patre suo. Si renunties illi coram hominibus, renuntiabit tibi coram Patre suo. Si erubescas esse illius discipulus, erubescet ille esse Magister tuus. Si eum agnoscas, ut tuum Dominum, ille te cognoscet, ut suum servum.

O JESU, Domine mi! Jam multo tempore Christianus sum nomine, & Paganus actione. Habeo fidem Christiani, & vitam Pa-

Pagani duco. Renuntio Religioni meæ ex vano timore dicteriorum. Timeo nempe solenne illud: Quid homines de te sentient, quid de te dicent? Magìs times joculares cavillationes impiorum, quàm Martyres formidârint crudelitatem tyrannorum. Heu! tu me confessus es coram Patre tuo, & ego tibi renuntio coram hominibus. Tu non erubescis me in cælo, & ego frequenter te erubesco super terram.

O quantùm abominor ignavam animi mei remissionem! detestor dissimulationem meam! Ostendam deinceps, me esse Christianum, Profitebor Religionem meam, corde, ore, & opere.

Verba S. Scripturæ.

Qui timet hominem, citò corruet. Prov. 29. 27.

Dico vobis amicis meis, ne terreamini ab iis, qui occidunt corpus, & post hæc non habent ampliùs, quid faciant. Luc. 12. 4.

Omnis, quicunque confessus fuerit me coram hominibus, & Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei: qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram Angelis DEI Luc. 12. 8.

Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cùm venerit in Majestate suâ, & Patris, & sanctorum Angelorum. Luc. 9. 26.

MEDITATIO XXXIX.

De Detractione.

VErbum detractorium facilè dicitur, sed damnum inde illatum non ita facilè reparatur. Leviter dicitur: sed crudeliter vulnerat. Transfigit cor Dei, qui prohibet detractionem. Transfigit cor proximi, qui patitur detractionem. Transfigit cor amici, qui audit detractionem. Transfigit cor illius, qui est author detractionis.

Detractio est vipera virulenta, quæ veneno inficit omnia corda. Est culter acutus, qui dissecat membra JESU Christi. Detractoris lingua crudelis est, quæ Christi cor transverberat. Est rapina boni omnium maximi. Est cædes vitæ omnium nobilissimæ. Est vulnus animæ. Est malum sine remedio. Sperari non potest venia, nisi fiat restitutio. Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Non facilè reparatur honor, aliquando ablatus. Vulnus detractionis est incurabile. Cicatrix semper remanet.

O mi Deus! quot commisi latrocinia! Quot cædes patravi! Lingua mea est penna leviter scribens; & tamen conscribit sententiam, quæ aliquando in judicio contra me pronuntiabitur. Lingua mea me absolvet à crimine. Lingua mea me condemnabit.

Heu! quis ergo salvus erit! Quis dicere potest Ego nunquam aliis detraxi? Quis dicere

cere verè poteſt: Reparavi malum, quod detrahendo aliis intuli?

Fuge detractores. Satan eſt in lingua eorum, quando tibi loquuntur. Satan eſt in auribus tuis, quando detrahentes libenter audis. Tolera detractiones: ſed noli illis anſam dare. Damnum, è tuis detractionibus ortum, repara meliori modo, quo potes. Veritas, quam non ſuggerit charitas, expers eſt charitatis.

Verba S. Scripturæ.

Detrahentem ſecretò proximo ſuo hunc perſequebar. Pſal. 100. 5.

Nolite detrahere alterutrum, fratres mei; qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem ſuum, detrahit legi, & judicat legem. Jac. 4. 11.

Qui detrahit alicui rei, ipſe ſe in futurum obligat. Prov. 13. 13.

Non rapaces, nec maledici regnum DEI poſſidebunt. 1. Cor. 6. 10.

Ex verbis tuis juſtificaberis, & ex verbis tuis contemnaberis. Matth. 12. 37.

MEDITATIO. XL.

De Triſtitia.

QUæ eſt cauſa triſtitiæ tuæ? Absque dubio, quia cor tuum eſt ægrum. Quia eſt mancipium alicujus cupiditatis. Quia ſtultè de-

deperis aliquam creaturam. Quia flagras aliquo desiderio. Quia conscientia tua est inquinata. Quia crimen aliquod perpetrâsti.

Quia apetis aliquid, quòd obtinere non potes. Quia non potes id, quod cupis. Quia non vis, quod Deus vult. Quia vis, quod Deus non vult.

Quia nihil adversi vis tolerare. Quia nimis arctè adhæres sensibus tuis. Quia mundum nimiùm formidas. Quia ardentius desideras vanissimas vitæ licentioris delicias. Quia plùs æquô diligis temetipsum.

O quàm beatus est, qui non desiderat, nisi Deum! O quàm jucundus est, qui non timet nisi Deum! O quàm securus est, qui nihil habet, quod perdat! O quàm felix est, qui bene & sanctè vivit.

Nihil æstima, nisi Deum, & nihil te affliget. Crede amissa omnia, quæ potes amittere. Noli diligere bonum, quod eripi tibi potest. Nulli rei perituræ cor affige. Quidquid perdas, conserva pacem tuam. Vive semper bene, & nunquam tristaberis. Committe te totum Deo, & semper gaudebis.

Verba S. Scripturæ.

Tristitiam longè repelle à te. Eccli. 30. 24.

Lætamini in Domino, & exultate justi. Psal. 31. 11.

Exultate justi in Domino, rectos decet collaudatio. Psal. 32. 1.

Gau-

Gaudete in Domino semper ; iterum dico, gaudete. Philip. 4. 4.

Quasi tristes, semper autem gaudentes. 2. Cor. 6. 10.

MEDITATIO XLI.

De malis effectibus Tristitiæ.

HOmo tristis ignominiâ Deum afficit. Palàm facit, se non credere ejus Providentiam. Accusat Deum ignorantiæ. Tacitè illum arguit injustitiæ. Ego sum, ait Deus, qui tibi hæc bona auffero. Ego sum, qui hanc persecutionem permitto. Ego sum, qui te hoc morbo affligo. Et tu audes murmurare ? Et tu audes conqueri ? Potéstne quis tristari, quin murmuret ? Si non blasphemas ore, blasphemas tamen corde. Affirmas, quòd non sit Deus, aut quòd is non intelligat modum gubernandi mundum.

Homo tristis, ac tetricus offendit proximum. Virtutem illi odiosam reddit. Avertit illum ab obsequio Dei, utpote cui servire durum sit, ac injucundum. Perturbat familias. Facilè excandescit. Oneri est superioribus suis. Molestus est suis æqualibus. Intolerabilis est suis subditis. Bilem aliis movet. Conversationem amaram efficit. Tollit inde omnem suavitatem. Mœret, cùm alii rident. Indignatur, cùm alii plorant. Ægrè accipit, si quis ei appropinquet. Negligi se queritur, si quis ab eo recedat.

Non est sana mens, cui dominatur tristitia. Non est ratio, ubi cura, & molesta sollicitudo animum lancinat.

Homo tristis seipsum perdit. Consumit se melancholiâ. Abrumpit sibi vitam corporis. Occidit animam suam. Cor ejus simile est inferno. Dæmon jus habet, in eo commorandi. Agit eum in desperationem. Inducit eum in omnis generis vitia. Proponit illi delectationes carnis, in defectum delitiarum mentis.

O morbum expavescendum, qui tali remedio opus habet! O JEsu? qui nunquam fuisti tetricus, aut morosus, cùm tamen semper haberes causas tristandi! Ne, obsecro, tradas me huic perturbationi. Ne me demergas in hunc infernum. Semper deinceps æquo ero animo, semper contentus; quia tu omnia disponis in bonum meum. Reverebor tuam Providentiam. Proximis bono exemplo prælucebo. Inchoabo beatitudinem meam in hâc vitâ, semper deinceps eâdem fruiturus post mortem. Servus morosus ac querulus injuriam facit Domino suo. Servus DEI nunquam debet tristari.

Verba S. Scripturæ.

Non erit tristis, neque turbulentus. Isaiæ 42. 4.

Quare vultus tuus tristis est? 2. Esdr. 2. 2.

Quasi tristes, semper autem gaudentes. 2. Cor. 6. 10.

Cor pravum dabit tristitiam. Eccli. 36. 22.

Noli-

Nolite fieri sicut hypocrytæ, tristes. Matth. 6. 15.

MEDITATIO XLII.

De remediis contra Tristiam.

CUr affligis temetipsum? Quod malum existimas, non est malum. Miseriæ tuæ sunt misericordiæ. Calamitates tuæ sunt beneficia Dei. Avellunt te à mundo. Uniunt te Deo Domino nostro. Revocant te intra temetipsum. Tædium vitæ hujus tibi ingenerant. Dolorem de peccatis tuis in te excitant. Sunt tesseræ salutis tuæ. Sunt pignora prædestinationis tuæ. An non Deus amavit Filium suum? Et quis hominum plùs illo fuit afflictus?

Malum tuum non est formidandum. Si modicum sit, facilè poterit tolerari. Si violentum, non poterit diu durare. Grande malum non potest esse diuturnum. Si non aliunde pellatur, necessariò tandem sibi ipsi succumbet. Aut vitam tollit, aut sensum.

Non nisi in inferno malum immortale. Tempus, etiam te non cogitante, lenit ærumnas tuas. Dolor tuus, non potest durare diùtius, quàm vita tua. Et quid est vita tua, si comparetur æternitati?

Cogitásne, vivere in hoc mundo sine afflictione? Quomodo eris membrum JESU Christi? Quomodo poteris regnare cum ipso, nisi affligaris cum illo?

Osten-

Oſtende mihi hominem ſine cruce. Et ego te cruce tuâ exonerabo. Eſtne æquum, ut pro nihilo habeas, quod tanto pretio emerunt Sancti? Quem gradum obtinebis in cœlo? Quem locum ibi occupabis?

Omnes Sancti plagis ſunt onerati. Tu ſolus ibi ſine vulnere deges?

Cælum cogita, & triſtitia tua diſſipabitur. Spes magni boni producit magnum gaudium. Omnis cruciatus eſt modicus, quo æterna gaudia comparatur.

Lenis eſt dolor, qui nos liberat ab æternitate pœnarum. Corpus leviter ſentit dolorem, quando animus verſatur in cœlo. Neſcis, quòd paradiſus ſit hæreditas afflictorum? Quòd ſit regnum crucifixorum? Quòd ſit portio animorum, adverſa fortiter ſuſtinentium?

Si velis liber eſſe à triſtitia eijce peccatum ex anima tuâ. Hoc enim contriſtat damnatos. Hoc illos inferni cruciatibus torquet. Si peccato carerent, etiam triſtitiâ carerent. Quod gaudium habere poteſt, qui Deum ejecit è corde ſuo? Quâ quiete fruetur, qui venenum fovet in ſinu ſuo? Si nulli rei adhæreas, nullâ re affligeris. Tantum patimur, quantum amamus. Deſideria noſtra ſunt carnifices noſtri. Non deſeritur ſine dolore, quod cum amore poſſidetur.

Túne deſideras nunquam triſtari? pone ſpem tuam in Deo. Illi expone afflictiones tuas. Ab illo ſolatium pete. Perſevera in oratione. Submitte te decretis ejus. Permitte te totum Providentiæ ejus. Conforma te cum

voluntate ejus. Et statim invenies, quod quæris.

Desiderásne liber ab omni mœrore vivere? Rationis ductum sequere. Corrige phantasiam tuam. Nemo miser est, nisi qui sibi imaginatur, se esse miserum. Dolor levis est, quando opinio illum non auget. Opinio est, quæ efficit omnia mala. Nemo infelix esset, si nemo sibi imaginaretur, se infelicem esse. vitam tuam conforma principiis fidei. Non dictaminibus sensuum. Consule rationem, & non opinionem.

Metuísne malum, quod tibi intentatur? Hoc est affligi sine ratione, affligi, antequam causa afflictionis præsens te urgeat. Deploras malum præteritum? Lacrymæ tuæ non te inde liberabunt. Cur non facis ex necessitate virtutem? Cur non proficis ex jacturâ, quam passus es? Quid prodest tibi, mente revolvere ærumnam, quæ jam transiit? Cur te iterum reddis miserum, postquam jam antè fuisti miser? Dedecus est homini sapienti, non desinere tristari, nisi cùm jam plorando est fatigatus. Satiùs est, dolorem repellere, quàm expectare, donec ipse nos deserat. Præteritum noli ultrà respicere. Futurum ne ante tempus prospicias. Præsens non est, nisi momentum. Cur ultrò tormentum tuum vis protrahere? Oportet se accomodare ærumnis suis, si quis non possit se illis liberare. Tristitia auget jacturam, non illam reparat. Solum peccatum mœrore destruitur. Unde non oportet mœrere, nisi propter peccatum.

O quàm

O quàm essemus felices, si corrigeremus imaginationes nostras! O quàm lætam vitam duceremus, si nihil desideraremus in terra! O quantùm supplicium est, ardens desiderium! Homo justus semper beatus vivit, semper habet, quod vult, quia vult, quod habet. Rerum creatarum mutationes Justum non mutant, quia innititur Immobili.

Verba S. Scripturæ.

Anna, cur fles? 1. Reg. 1. 8.

Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Ps. 41. 12.

Dixit illi: noli flere. Luc. 7. 13.

Fratres mei gaudete in Domino. Philip. 3. 1.

Lætetur cor quærentium Dominum. Psalm 104. 3.

Tristatur aliquis vestrûm? orat. Jac. 5. 13.

MEDITATIO XLIII.

De Superbia.

MAgna misericordia est Deus humiliatus. Magna miseria est homo superbus. Superbia est fons omnium vitiorum, sicut humilitas est mater omnium virtutum. Irasceris, quia superbus es. Tristaris, quia superbus es. Impatiens es, quia superbus es. Divitias concupiscis, quia superbus es. Invides proximo, quia superbus es. Impudicus es, quia superbus es. Deus humiliat

men-

mentem per corpus. Tradit ſuperbos fædis & pudendis concupiſcentiis. Beſtiarum pellibus veſtit illos, qui ad Divinitatem aſpirant.

Superbia eſt peccatum dæmonis, qui primus illam commiſit. Cælum eſt locus nativitatis ejus. Infernus eſt locus ſupplicii ejus.

Cætera peccata fugiunt à Deo. Superbia audet cum Deo congredi. Deus ſuperbos capitali odio veluti hoſtes ſuos inſectatur. Dat gratiam humilibus; ſuperbis autem reſiſtit. Deprimit illos corpore. Deprimit illos animo. Deſpicit illos in tempore. Deſpicit illos in æternitate. O grande malum, quod Deum habet inimicum!

Mi Deus! Unam à te peto gratiam, ad tuam gloriam, & meam ſalutem. Ut cognoſcam te, ut cognoſcam me. Ut cognoſcam Majeſtatem tuam. Ut cognoſcam vilitatem meam. Ut cognoſcam beneficia tua. Ut cognoſcam ingratitudines meas. Ut cognoſcam bonitatem tuam. Ut cognoſcam malitiam meam. Ut cognoſcam id, quod ex te habeo, ad laudandum te. Ut cognoſcam id, quod ex me habeo, ad deſpiciendum me.

O Nihilum pretioſum, in quo reperio omnia! O Nihilum illuſtre, in quo video omnia. O Nihilum delitioſum, in quo guſto omnia! In quiete dego, cùm in Nihilo verſor, quia ſum in loco mihi proprio. Nulla quiete fruor, quando extra Nihilum moror; quia non ſum ampliùs in centro meo. O Deus meus, & omnia! Quando tandem ero penitùs evacuatus ab omni eo, quod ego ſum, ut implear omni eo, quod tu es, fiatque cor meum Deo plenum?

Verba S. Scripturæ.

Abominatio Domini est omnis arrogans. Prov. 16. 5.

Juravit Dominus Deus in animâ suâ, detestor ego superbiam Jacob. Amos. 6. 8.

Qui se humiliat, exaltabitur, & qui se exaltat, humiliabitur. Luc. 14. 11.

Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum. Matth. 18. 3.

Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Jac. 4. 6.

MEDITATIO XLIV.

De remissione Injuriarum.

DEus hanc tibi imperat, & non obtemperabis? Remitteres injuriam in gratiam Regis tui, id imperantis. Quis habet plenum jus imperandi, nisi Deus? Túne ergo agere nihil vis, nisi, quod tibi lubet? Commodum servi debet cedere auctoritate Domini sui.

Quod Deus tibi prohibet, prohibet toti mundo. Quod Deus tibi imperat, imperat toti mundo. Sicut tibi prohibet, ne odio persequaris inimicum tuum, ita pariter prohibet inimico tuo, ne te odio habeat. Sicut tibi præcipit, ut ames omnes homines, ita præcipit omnibus, ut te ament. Estne aliquid æquius, quàm hoc mandatum?

Deus

DEUS hoc tibi præcipit tanquam Rex. Idem à te rogat tanquam Pater. Hoc te docet tanquam Magister, mansuetudine suâ, & patientiâ suâ; verbo & exemplo suo. Quid non à te Deus tolerat? Quantâ patientiâ te sustinet? Tenet una manu ultionem, & alterâ patientiam. Una est illi necessaria, sed altera est ei perquàm chara. Deserit ultionem, ut conservet patientiam. Ignoscit cum gaudio. Punit cum dolore. Ignoscit ex inclinatione. Punit ex necessitate. Si subditi sumus, obediamus Regi nostro. Si filii sumus, facimus voluntatem Patris nostri. Si discipuli sumus, sequamur exemplum Magistri nostri.

Cur odio habes fratrem tuum? an non homo est, sicut tu? An non Christianus est, sicut tu? si eum odisti, quia peccator est, debes odisse omnes homines. Erásne justus, quando JESUS te amavit? Ubi modò esses, si JESUS non amâsset peccatores? Injuria, quæ tibi fuit illata, levis est, si comparetur cum injuriis, quas tu Deo infers.

Contemneris; sed nunquid meruisti contemptum? Potéstne satìs contemni damnatus? Auferuntur tibi bona tua? an non Deus illa tibi est elargitus? An non jus habet ea à te repetendi, quandocunque illi placet, & per quemcunque illi placet? Ne hostem appelles illum, qui tibi occasionem præbet cælum lucrandi. Si te offendit, utique punietur. Damnatio ejus est inevitabilis, nisi tibi satisfaciat. Túne potes odium tuum protendere ultra æternitatem! Committe DEO

vindictam; jus enim ulciſcendi eſt ipſi proprium. Tu verò conſerva patientiam, malúmque tibi illatum libens accipe, ut pœnam, iniquitatibus tuis debitam.

DEUS eſt tibi norma miſericordiæ. Tu es Deo norma juſtitiæ. Si tu non exhibeas miſericordiam proximo, ſicut ipſe, vindictam de te ſumet, ſicut tu. Si ames, amabit te. Si odio habeas, te quoque odio habebit. Si proximum excuſes, te quoque excuſabit. Si condemnes, te quoque condemnabit. Si veniam indulgeas, tibi pariter veniam dabit. Si punias, & te puniet.

O JESU! quando te video morientem in Cruce, non retineo ultrà fel odii in corde meo. Quando te audio orantem pro inimicis tuis, viſcera miſericordiæ exhibeo hoſtibus meis. Pater mi! ignoſce illis, qui me offenderunt; non enim ſciebant, quid facerent: fecerúntque ea, quæ ego plurimis titulis fui promeritus.

Verba S. Scripturæ.

Dimittite, & dimittemini. Luc. 6. 37.

Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos. Luc. 6. 27.

Si autem non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra. Matth. 6. 15.

MEDITATIO XLV.

De Judiciis hominum contemnendis.

ERisne ſemper mancipium hominum? An nunquam contemnes reſpectus humanos? Cur non palàm declaras, te ſolius Dei partes tenere? Cur non renuntias vanitatibus his? Cur non frequentas Sacramenta? Cur non deſeris hos ſocios tibi noxios?

Mundos te ludibrio habebit? Tu potiores cauſas habes, mundum ludibrio habendi. Mundus eſt maximus hoſtis Dei. Eſt Tyrannus Fidei. Eſt perſecutor innocentiæ. Renuntiâſti amicitiæ ejus, quando fuiſti baptizatus. Niſi velis renuntiare mundo, oportebit te renuntiare JEſu Chriſto.

Quanta mentis ignavia, reddere ſe mancipium hominum? Quanta infidelitas, profugum deſerere ſigna JEſu Chriſti? Quanta perfidia, jungere ſe inimicis ejus? Quanta impietas, erubeſcere Evangelium ejus?

Homines tibi illudunt? Hoc eſt teſtimonium meritorum tuorum. Deſpectum te crederem, ſi æſtimareris, ac laudareris ab illis, qui non approbant, niſi vituperanda. Judicium impiorum non eſt regula bonorum.

An oportet te deſinere eſſe ſapientem, ex metu ſtultis diſplicendi? Quale jus habent impii, legem tibi præſcribendi? Quis te ſubditum eorum conſtituit? An times diffamari

ri ab infamibus? An formidas honore ſpoliari ab iis, qui ipſi ſunt ſine honore?

Impii te condemnant? Sententia nulla eſt, & ſine auctoritate, cùm ille, qui condemnat, ipſe meretur condemnari. Eſtne admiratione dignum, quòd ille malè loquatur de aliis, qui ipſe non novit bene agere? Si impii habeant unam linguam, quâ te accuſent, aut tibi inſultent, tu duas manus habes, quibus ipſis reſpondeas. Deſpectio ab impiis profecta, eſt elogium virtutis. Non poteſt quis eſſe Chriſtianus, niſi contemnat, & contemnatur.

O JESU Domine mi! quàm paucos in terra ſervos habes! Video equidem tyrannos; ſed nullos invenio Martyres. Unicum hoc: Quid dicent homines? plures efficit Apoſtatas, quàm fecerint omnes Nerones. Heu! quomodo ſuſtinerent ictus flagellorum, qui pati non poſſunt aculeum linguæ? Quomodo foret Martyr Fidei, qui formidat eſſe Martyr charitatis? Ego ſanè nunquam erubeſcam Evangelium tuum. Palàm profitebor Religionem tuam. Non cupio placere illis, qui tibi diſplicent. Exhorreſco placere illis, quibus tu non places, nec placere potes.

Verba S. Scripturæ.

Noli erubeſcere teſtimonium Domini Noſtri. 2. Tim. 1. 8.

Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem. Gal. 1. 10.

Ne pro his omnibus confundaris, & ne accipias personam, ut delinquas Eccli. 42. 1.

Mihi autem pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die. 1. Cor. 4. 3.

MEDITATIO XLVI.

De Avaritia.

SI desideres bona terrena, amittes bona cælestia. Avarus Fidem perdit. Sensus habet contrarios Evangelio. Beatos æstimat, quos JEsus miseros appellat. Miseros æstimat, quos JEsus beatos appellat. Fides oppugnat concupiscentiam ejus, & concupiscentia ejus fidem oppugnat. Non potest conservare hanc, & illam. Si ergo velit conservare fidem, necessarium est, ut renunciet concupiscentiæ suæ.

Avarus perdit spem: Quis enim sperare potest, quod non credit? Avarus contemnit bona æterna. Non æstimat, nisi temporalia. Nihil agit, quo cælum lucretur. Non laborat, nisi pro terra. Nunquam Deum orat. Nullum bonum ab illo exspectat. Nemini eleemosynam elargitur. Desiderium habet insatiabile. Est idololatra pecuniæ. Huic sacrificat cogitationes suas. Hanc sibi præfigit pro ultimo fine. Hanc extollit supra Deum. Hanc adorat, tanquam principium felicitatis suæ. In hac omnem spem suam defigit.

Avarus perdit charitatem. Cor ejus est, ubi est thesaurus ejus. Nemo potest duobus dominis servire. Nemo potest Deum amare, & opes. Avaritia occupat totum cor. Non patitur divisionem. Oportet committere grandes iniquitates, ut grande lucrum reportetur. Qui se ditare cupit, rapit omnia, quæ potest rapere. Natura paucis contenta est: sed concupiscentia non habet terminos. Rapit, & corradit sine mensurâ, quisquis concupiscit sine moderatione. Lucra legitima, sunt lenta, sequuntur cursum naturæ. Lucra grandia sunt furta grandia. Magnæ divitiæ plerumque sunt magnæ injustitiæ.

Quomodo salvari potest avarus? Non agnoscit peccatum suum. Non agit pœnitentiam. Nunquam restituet bona injustè parta. Quod facilè rapitur, difficillimè restituitur. Aquæ furtivæ sunt dulciores, quàm publico omnium usu permissæ. Omnes animi motiones immoderatæ conferunt ad furtum. Omnes pugnant pro ejus defensione.

O mi Deus! nunquam excrucier ob bona terrena! Tu scis, ubi sit thesaurus meus. Heu! expeditne æternùm damnari propter opes necessariò deserendas?

Nihil intulimus in hunc mundum. Certum est, quòd nihil etiam inde simus ablaturi. Beatus ille, qui Deo contentus vivit, omnémque suam fiduciam in ipso figit. Aurum, & argentum sunt Dii gentilium. Sed Deus cæli est Deus meus.

Verba S. Scripturæ.

Noli laborare, ut diteris, sed prudentiæ tuæ pone modum. Prov. 23. 4.

Nolite sperare in iniquitate & rapinas nolite concupiscere: divitiæ si affluant, nolite cor apponere. Psal. 61. 11.

Qui festinat ditari, non erit innocens. Prov. 28. 20.

Avaro nihil scelestius, hic enim & animam suam venalem habet. Eccli 10. 9. & 10.

Quàm difficilè, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt: facilius est enim Camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in regnum Dei. Luc. 18. 25.

Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. 1. Tim. 6. 9.

MEDITATIO XLVII.

De iteratâ Prolapsione in peccatum.

QUantò frequentiùs peccatum est remissum, tantò minùs est veniâ dignum. Quantùm crescit numero, tantùm augetur malitiâ.

Iterati lapsus sunt periculosi. Vulnera inveterata sunt incurabilia. Actus transeunt in habitus. Habitus degenerant in necessita-

tem. Peccata evadunt graviora. Habitus magìs invalescunt. Gratiæ sunt debiliores. Cooperatio magìs remissa. Mens magìs cæca. Voluntas magìs infirma. Cupiditates vehementiùs insurgentes. Remedia lentiora. Dæmones potentiores. Eorum possessio magìs tyrannica. Quanta ingratitudo, post tot beneficia? Quantus contemptus, post tot illustrationes? Quanta perfidia, post tot promissa? Quanta malitia, post tot gratias?

Itáne ludibrio habes Deum? Itáne turpiter deficis à promissis? Itàne ludis ejus patientiam? Itáne abuteris ejus bonitate. Itàne contemnis ejus justitiam? Itáne præfidis de ejus misericordia? Itáne insultas ejus mansuetudini? Itáne prodigis ejus gratias? Itáne extinguis ejus spiritum? Itáne illum expellis ex corde tuo? Itáne illi Luciferum præfers?

Abundantiam sequitur paupertas. Gratias pœna. Patientiam furor. Contemptum vindicta.

O mi Deus! non audeo porrò comparere coram te, post tantum contemptum, & ingratitudinem. Post tantam perfidiam, & infidelitatem. Peccata mea propè immutârunt naturam. Erant priùs ex fragilitate commissa. Jam verò sunt indurata fronte perpetrata. Erant errores veniâ digni. Jam sunt crimina nullo titulo excusanda. Numerus eorum est infinitus. Pondus intolerabile. Malitia irremissibilis. Curatio propè desperata.

Verùm, tametsi grandia sint peccata mea, longè major est misericordia tua. Peccata

mea

mea sunt finita. Misericordia tua est infinita. Possum ad cælum contendere, quamdiu nondum sum in inferno. Possum me ad Deum convertere, quamdiu spiritum traho. Omnino seriò cupio salvari: tædet me malè vivere. Mi Deus! tolle mihi vitam, si nolim in melius mutare vitam. Eripe me quantocyùs ex hoc mundo, si nolim me sponte avellere ab amore mundi.

Verba S. Scripturæ.

Si, quæ destruxi, iterum hæc reædifico, prævaricatorem me constituo. Gal. 2. 18.

Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Joan. 5. 14.

Fiunt novissima hominis illius pejora prioribus Luc. 11. 26.

Impossibile est, eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritûs sancti & prolapsi sunt; rursus renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes. Heb. 6. 4. & 6.

MEDITATIO XLVIII.

De Consuetudine peccandi.

GRande malum est, assuescere malo. Consuetudo peccandi est catena iniquitatis Quæ captivam tenet animam, eámque reddit mancipium peccati. Imminuit cognitionem.

nem. Indurat cor. Sopit conſcientiam. Tollit pudorem. Quò crebriùs quis peccat, eò minùs erubeſcit peccare. Committitur initio ſcelus cum horrore. Reiteratur cum timore. Cognoſcitur cum delectatione. Perſeveratur in eo cum contemptu.

Ecce gradus iniquitatis! Ecce quò deducat conſuetudo peccandi!

Corpus nunquam magìs ægrotat, quàm cùm ægritudinem ſuam non ſentit. Peccator inveteratus, eſt propè deſperatus. Non agnoſcit ſuam miſeriam. Non poteſt illam odiſſe. Delectationem in eâ reperit. Non vult inde liberari. Deſideria ejus ſunt ſine effectu. Conatus ejus ſine perſeverantiâ. Vitia ejus tranſeunt in naturam? Et conſuetudo ejus in neceſſitatem.

Quando pondus conſuetudinis jam contractæ premit inclinationem naturæ, tunc impetus cupiditatis nihil amplius habet obſtaculi, quo retineatur.

Eſt torrens, qui abripit omnia. Eſt tyrannus, qui peſſundat omnia. Eſt lex iniquitatis, quæ deſpoticè dominatur voluntati. Eſt altera quædam concupiſcentia magìs tyrannica, quàm fuerit ſub primum ejus exortum. Eſt altera natura magìs corrupta, quàm prima. Gratia ſine fructu aggreditur cor, quod peccat ex conſuetudine. Hoc enim inſenſibile eſt ad gratiæ motus. Impenetrabile eſt ejus ſagittis. Faciliùs Æthiops dealbabitur, quàm emendetur malum inveteratum. Leviore conatu annoſa quercus eradicabitur, quàm

quàm evelli possit peccatum, longo jam usu veluti innatum.

In quo statu versaris modò? An peccas ex ignorantiâ? An ex vehementiâ cupiditatis? An ex fragilitate? An ex consuetudine? An sine remorsu? An sine dolore? An cum delectatione? An cum contemptu? Non erubescis ampliùs de peccato? An committis illud cum magna protervia? An gloriaris de peccato commisso? An non times post scelus patratum?

Profectò es mancipium vitiorum. Peccata tua transière in naturam. Ecce duritiem cordis tui! Ecce insensibilitatem mentis tuæ! Ah! si sentires ægritudinem tuam, spes vitæ etiamnum affulgeret. Pete humiliter à Deo medelam animæ tuæ. Vires exere, quibus rumpas catenas tuas, & vincula. Resiste minutis tentationibus, & victoriam obtinebis de grandioribus. Exequere res faciliores, & Deus perficiet difficiliores. Assiste proximo tuo, & Deus assistet tibi. Exhibe illi misericordiam, quam tibi quoque Deus præstabit. Sine miraculo non sanaberis. Sine charitate gratiam non obtinebis.

Verba S. Scripturæ.

Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. Rom. 6. 12.

Si mutare potest Æthiops pellem suam: & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum. Jer. 13. 33.

Pu-

Putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ Pſ. 37. 6.

Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum; & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me. Pſ. 37. 5.

Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab eâ. Prov. 22. 6.

MEDITATIO XLIX.

De Præparatione ad Mortem.

AN paratus es mori? An bene ordinâſti negotia tua? Majúsne habes negotium, quam ſalutis tuæ? Putásne, quòd evaſurus ſis mortem? Quod aliquando debebit evenire, an non poterit hodie accidere? Non es ſollicitus, niſi de vitâ, cùm tamen de morte potiùs te ſollicitum eſſe, oporteret. Non laboras, niſi pro tempore, cùm potiùs laborare deberes pro æternitate. Parva cura impendenda eſt parvis negotiis, maxima cura rebus maximis. Serò nimis ſollicitus es de morte, cùm tempus eſt moriendi. Sapiens nihil magni momenti aggreditur, quòd non ſeriò priùs expenderit. Omnes homines diſcunt artem, quam tractare volunt. Negotium omnium hominum eſt, ſalutem ſuam in tuto ponere. Nullo ſtudio unus eſt, ut diſcas mori. Magno ſtudio opus eſt, ut diſcas bene mori. Nunquam bene agitur, quod non niſi ſemel agitur. Ut diſcas bene mori, oportet ſæpiùs mori.

Semel tantùm moriendum est. Error, qui in morte committitur, irreparabilis error est. Actor in theatro malè agit personam suam, si non frequentiùs se ante exercuit. Advocatus malè agit causam, cui evincendæ se non priùs paravit. Difficile est bene mori, cùm quis non didicit, nisi vivere. An longus nimis est vitæ cursus, quo te disponas ad mortem? An prolixum nimis est tempus, quo te præpares æternitati? Quomodo moriturus produces amoris actus, quando nunquam didicisti amare?

Vigila, aut ex improviso opprimêris. Præpara te ad mortem, aut imparatus morieris. Qui non vigilat, ex improviso obruetur. Obrutus ex improviso damnabitur. Disce bene gerere negotium, quod semel necessariò gerendum est. ¡Quanti interest bene facere, quod semel tantùm faciendum est! Heu! quàm periculosum est errare, quando error est sine remedio, & pœna consequens nullum habebit finem. Ne fidas tempori, cujus infida est promissio. Plurimos jam decepit. Si tempori fidas, certò te decipiet.

O mi Deus! gratias tibi ago, quòd tempus mihi indulseris, me ad mortem comparandi. Ubi modò essem, si me ex improviso vitâ privâsses? Vigilem deinceps mei curam geram, ut bene moriar aliquando. Moriar quotidie, moriar frequenter, ut semel tandem bene moriar.

Verba S. Scripturæ.

Memor esto, quia mors non tardat. Eccli. 14. 12.

Vigilate, quia nescitis diem, neque horam. Matth. 25. 13.

Vigilate omni tempore .Luc. 21. 36.

Si non vigilaveris, veniam ad te, tanquam fur. Apoc. 3. 3.

Ideo & vos estote parati, quia quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet. Matth. 24. 44.

MEDITATIO L.

De Morte promptè, & libenter acceptanda.

QUid times, anima Christiana? cur mortem formidas? Num pati non potes, quod patitur infans? Num agere non potes, quod agit formica?

Omnia animalia noverunt mori, & tu ignoras hanc scientiam? Ad quid tibi data est vita, si nunquam velis eam Authori reddere? An non Deus vitam tibi dedit? Nunquid jus habet de eâ disponendi? Usum tantùm vitæ tibi donavit. Sibi autem jus proprietatis reservavit. Vita hæc depositum est, quod seriùs aut citiùs Deo restituendum est, sed virtutum splendore exornatum.

Quid juvat te multùm tergiversari? Necessarium omnino est, per mortem hinc transire. Stultitia est, nimiùm timere, quod evita-

evitari non poteſt. Dubii tantùm eventus timentur, certi verò expectantur. Oportebat nunquam naſci, ſi mori recuſes.

Túne melioris conditionis es, quàm Reges? Majúsne privilegium habes, quàm JESUS Chriſtus? Ego, ſi immortalis eſſem, gratiæ loco peterem, poſſe mori, ſicut ipſe.

An non multorum criminum reus es; An non condemnatus ad mortem? Decretum mortis jam dudum fuit pronuntiatum contra Adamum, ubi primùm peccavit. O quàm favens hæc eſt ſententia! O quantum bonum nobis comparat! Mors jam non pœna eſt, ſed beneficium inæſtimabile. Gratiæ loco debemus mortem expetere, ſi Deus nos ad illam non condemnâſſet.

Judicia Dei ſunt terribilia. Sed & miſericordiæ ejus ſunt infinitæ. Bonum eſt timere, ſed meliùs eſt ſperare. Qui ſperat in Deo, non confundetur. Qui ſe totum Deo committit, nunquam derelinquetur.

Au melior erit conditio tua, ſi longiori adhuc vivas tempore. Augebis potiùs debita tua, quàm imminues. Agam, iniquis, pœnitentiam, quam tamen nondum inchoâſti. Pœnitentia maximi meriti eſt, mortem promptè acceptare in pœnam ſuorum criminum.

Nullam actionem adeò nobilem Deo offerre poſſumus, quæ æquivaleat ſacrificio propriæ vitæ.

O mi DEUS! quàm felicem me æſtimo, quòd mori poſſim propter te. Non poſſum equidem eſſe Martyr Fidei, volo tamen eſſe Martyr charitatis. Non eſt res magna, mori,

ri; sed magna res est; bene mori. Mi DEUS! ex amore tibi ultro dono, quod mors violenter mihi auferet. Dono tibi ex charitate, quod non possum subtrahere necessitati.

Verba S. Scripturæ.

Melior est mors, quàm vita amara, & requies æterna, quàm languor perseverans. Eccli. 36. 17.

O mors! bonum est judicium tuum homini indigenti, & qui minoratur viribus, defecto ætate. Eccli. 41. 3. & 4.

Noli metuere judicium mortis: memento, quæ ante te fuerunt, & quæ superventura sunt tibi: hoc judicium à Domino omni carni. Eccli. 41. 5.

Scimus, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quòd ædificationem à Deo habemus, domum non manu factam, sed æternam in cælis. 2. Cor. 5. 1.

Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus. Rom. 7. 24.

MEDITATIO LI.

Affectus animæ justæ, Morte appropinquante, utiliter prelegendi in ultimo morbo.

NUntiatum mihi est, quòd propediem sim moriturus. O dulcia, & acceptissima nova! Vado deserere terram, ut ad cælum properem. Vado exire ex hoc ærumnoso car-

carcere, ut intrem in libertatem filiorum DEI. Vado liberandus ab hoc exilio, rediturus in chariſſimam mihi patriam. Vado, ut tranſeam à tempore ad æternitatem, à figurâ ad' veritatem, à mutatione variabili ad immutabilitatem, à morte ad immortalitatem, à miſeria ad felicitatem.

vado, ut poſſideam Deum. Vado, ut fruar Deo. Vado, ut quieſcam in Deo. Vado, ut transformer in Deum. Vado, ut mens mea repleatur plenitudine luminis. Vado, ut voluntas mea repleatur plenitudine pacis. Vado, ut memoria mea repleatur plenitudine bonorum. Vado, ut ſenſus mei repleantur plenitudine deliciarum. Ibi reperiam omnia, quæ deſidero; & nihil reperiam, quod timeo. Ibi nullum mihi eveniet malum. Ibi nullum mihi deficiet bonum. Deus erit mihi omnia in omnibus, & erit mihi omnia in omnem æternitatem.

Nuntiatum mihi eſt, quòd propediem ſim moriturus. O dulcia, & acceptiſſima nova! Non ero deinceps cumulatus miſeriis. Non tolerabo ampliùs ulla incommoda. Non ero afflictus morbis. Non ero obnoxius peccatis. Non verſabor in periculis æternæ damnationis. Nihil erit ultrà, quod me cruciabit. Videbo Deum. Amabo Deum. Benedicam Deum.

Hæ erunt occupationes meæ, quibus æternùm beatus ero.

O quanta felicitas? Vado mori. Vado ad locum quietis meæ. Vado ad terram viventium. Vado ad regnum pacis. Vado ad pa-

palatium gloriæ. Vado ad nuptias Agni. Vado ad convivium, à Deo mihi præparatum. Vado manducare Panem Angelorum. Vado videre, quæ oculus non vidit. Vado audire, quæ auris non audivit. Vado poſſidere, quod cor non comprehendit.

Nuntiatum mihi eſt, quod propediem ſim moriturus. O dulcia & acceptiſſima nova! Eamus, anima mea! deſeramus miſeram hanc vitam. Egrediamur ex miſero hoc corpore. Quid mori times? JESUS eſt pro te mortuus. Ille ſatisfecit pro peccatis tuis? Ille ſolvit debita tua. Ille cautionem pro te præſtitit. Ille vadem ſe pro te dedit. Ille tibi paradiſum ſuum promiſit. Ille te hæredem ſuum declaravit. Ille omnia ſua meritia in te transtulit. Ille Corpus ſuum tibi in pignus dedit. Ille beneficia infinita in te contulit. Ille te ab infinitis periculis præſervavit. Si perdere te cuperet, an pro te fuiſſet mortuus? An vitam tibi tanto tempore conſervâſſet? An tantâ patientiâ te expectâſſet? An tempus pœnitentiæ tibi conceſſiſſet. An tot luminibus te illuſtrâſſet. An tam amanter te vocâſſet? An tam potenter te attraxiſſet? An tot gratiis te præveniſſet? An tot ſancta deſideria tibi inſpirâſſet. An in morbo tuo te viſitâſſet? An te Sacramentorum perceptione recreâſſet. An te ſigno prædeſtinatorum inſigniiſſet? Si ſeriò ingemiſcas, ſalvus eris. Si ex animo te convertas, remittentur tibi peccata tua. Unico ſuſpirio opus habes, quo cælum lucreris. Pœnitentia vera nunquam eſt nimis ſera. Semper maturè ſatis

te convertes, quandocunque ex intimo cordis ſinu ad Deum offenſum te convertes. Ecce! JESUS te vocat. Ecce! JESUS brachia, quibus te amplectatur, expandit. Ecce! Orat pro te in cruce. Ecce! quàm potenti voce pro te perorat: Pater mi! Ignoſce illi, non enim ſciebat, quid faceret. Caput inclinat ad figendum tibi oſculum. Brachia extendit ad te amplexandum. Cor apertum habet ad te excipiendum. Vitam ſuam poſuit ad te ſalvandum.

Nuntiatum mihi eſt, quòd propediem ſim moriturus. O beata, O felicia Nova! Eamus, libens iter æternitatis ingredior. Vitæ meæ libentiſſimè renuntio, eámque reddo Deo, qui illam mihi dono dedit. Remitto Spiritum in manus ejus, ipſi commendo corpus meum, & animam meam. Doleo, quòd Deum ſummè bonum offenderim. Mortem libens accepto, in ſatisfactionem omnium meorum criminum. Credo omnia, quæ revelavit: Spero omnia, quæ promiſit. Dono illi omnia, quæ poſſideo. Mori cupio pro ejus gloria. Mori cupio ejus amore. Mori cupio in teſtimonium debiti mei obſequii. Mori cupio propter juſtitiam. Morior, quia ipſe eſt mortuus. Moriar propter illum, ſicut ille mortuus eſt propter me. Moriar, ut ipſum videam. Moriar, ut ipſum amem. Moriar, ut ipſum benedicam, & cantem ei canticum laudis in omnem æternitatem.

O Pater miſericordiarum! Ecce! filium prodigum; qui diſſipavit omnia bona tua,

qui comſumpſit vitam ſuam vivendo luxurioſè; qui redit modò ad domum paternam, & humillimè veniam à te efflagitat. Heu! vixi ſine ratione, jam inde, ex quo adeptus fui uſum rationis. Non feci niſi mala, jam inde, ex quo cæpi cognoſcere bonum. Pater mi! peccavi in cælum, & coram te, jam non ſum dignus vocari filius tuus. Non ſum dignus, qui intrem in domum tuam. Sed nunquid tu Pater eſſe deſiiſti, quia ego ceſſavi eſſe filius tuus? An perdidiſti bonitatem tuam, quia ego perdidi innocentiam meam? An non es Pater miſericordiæ, quia ego factus ſum filius miſeriæ? O mi pater! O Patrum optime! miſerere miſerrimi filiorum tuorum. Perditus eram, & ecce! me inventum. Mortuus eram, & ecce! me reſuſcitatum. Longè à te receſſeram, & ecce! paratiſſimum ad comparendum coram te. O Pater mi! obviàm progredere filio tuo, da mihi oſculum pacis. Ignoſce, obſecro, peccata mea. Indue me denuò veſte nuptiali. Recipe me in domum tuam. Admitte me ad convivium tuum.

O JESU! medice pauperum ægrotorum! Conſolator pauperum afflictorum! Redemptor pauperum captivorum! Spes pauperum peccatorum! En! me coram te ſine viribus. En! me ſine motu. En! me ſine voce. Verùm cor meum interiùs tibi loquitur, quòd ardeat deſiderio videndi te, & ægrè accipiat, mortem differri. Veni, O JEſu! Veni quantocyùs! Libera animam meam ex hoc carcere! Eripe me ab hoc exilio! Deduc me

in-

in patriam mihi chariſſimam! En! juſti me expectant. En! amici mei brachia mihi porrigunt. O quàm pulchra ſunt tabernacula tua! O quàm admirabile eſt palatium tuum! O quantis gaudiis abundabo in cælo! O quàm felix ero in ſocietate tua! Morior præ deſiderio moriendi. Veni Divine Salvator! Nec patere me porrò languere.

Sancta Maria Mater Dei, quæ vidiſti in Cruce morientem JESUM Filium tuum. Ecce! filius tuus infirmatur. Ne, obſecro, illum deſeras in extrema hac lucta. Veni, recipe ſpiritum meum, & defende me ab inimicis meis.

Angeli cæli, deſcendite in terram, & mihi ſuccurrite. Cingite me undique fidiſſimâ veſtrâ cuſtodiâ. Pellite hinc infernalem Leonem. Conſervate me uſque ad mortem. Poſtquam me ſalvâſtis è tam crebris naufragiis, ne quæſo permittite me perire in portu.

Progrediamur ad cælum. Properemus in Paradiſum. Paratum cor meum Deus! Paratum cor meum! Paratum morari in terra! Paratum hinc exire! Paratum vivere! Paratum mori! Fiat, Domine, ſanctiſſima voluntas tua, in omnibus & per omnia, nunc, & in æternum. In manus tuas, Domine, commendo Spiritum meum.

Verba S. Scripturæ.

Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus. Pſal. 121. 1.

Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Apoc. 14. 13.

Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt. Apoc. 19. 9.

In te, Domine, speravi, non confundar in æternum. Pf. 30. 2.

Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Pf. 72. 25.

Coarctor è duobus: desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo, multò magis meliùs. Phil. 1. 23.

Unam petii à Domino, hunc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ Psal. 26. 4.

Quàm dilecta tabernacula tua, Domine Virtutum! concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini. Pf. 83. 2. & 3.

Beati, qui habitant in domo tua, Domine: in sæcula sæculorum laudabunt te. Pf. 83. 5. Totus hic Psalmus plenus est suavibus cogitationibus ad accendendum in ægro desiderium Paradisi.

Si iniquitates observaveris Domine, Domine, quis sustinebit. 129. 3.

Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. 129. 7.

MEDITATIO LII.

Paraphrasis Orationis Dominicæ, in solatium ægrorum.

PATER NOSTER, QUI ES IN CÆLIS.

CRedo, mi Deus! quòd tu ſis Pater meus, qui dediſti mihi vitam animæ, & corporis, ut tibi ſervirem, & te amarem, quam etiam reparâſti per mortem. Filii tui, poſtquam eam peccatis meis miſerè perdideram. Tu es Pater omnium hominum, & miſerrimi hujus inter omnes homines, quem vides in hoc lecto proſtratum.

O quàm gaudeo, quòd Patrem habeam tam bonum, tam ſapientem, tam ſanctum, & tam potentem! ſpero quòd, cùm vitam mihi largitus ſis temporalem, æternam quoque liberaliter mihi ſis donaturus.

O Pater mi! reſtituo tibi vitam, quam dediſti mihi. Doleo, quòd tam malè eam impenderim, eáque in tui offenſam, impiè fuerim abuſus.

Pater mi! Peccavi in cælum, & coram te; jam non ſum dignus vocari filius tuus: ſed recipe me, obſecro, in numerum ſervorum tuorum.

Pater mi! An poſſibile eſt, ut hic calix mortis, & paſſionis tranſeat ab ore meo, eúmque necdum hauriam? Verumtamen fiat voluntas tua, & non mea.

Pater mi! glorifica filium tuum, ut filius tuus glorificet te. Et quoniam te non honoravi in terrâ, fac, ut æternùm te laudem in cælo.

Qui es in Cælis.

AH! tu es in Cælo, & ego adhuc moror in terrâ. Tu es in loco pacis, & ego sum in loco certaminis. Tu es in cælo, ut mihi præmia retribuas. Et ego sum in terrâ, ut honorem tibi exhibeam.

Spero, mi Deus! quòd paulò pòst tecum futurus sim in cælo. Spero in meritis pretiosi sanguinis; à Filio tuo pro me effusi.

O quando veniet dies hæc! Tædet me porrò vivere exulem à tua præsentia. Heu! quàm sordet mihi terra, cùm Cælum aspicio! O Paradisus! O Paradisus! quid non agendum est, ut comparis? Quid non patiendum est, ut obtinearis? Quid quid patior, nihil est in comparatione præmii, quod spero.

Sanctificetur Nomen Tuum.

ADorandum Nomen DEI mei! Veni in hunc mundum, ut te sanctificarem, & tamen vix aliud egi, quàm ut te profanarem. Veni in terram, ut darem tibi gloriam; & aliud non egi, quàm ut te injuriis afficerem. Glorificavi nomen meum, cùm glorificare debuissem Nomen tuum. Illustravi nomen meum, cum

cùm illustrare debuissem Nomen tuum. Veniam à te supplex efflagito, Deus Gloriæ & Majestatis! & quoniam te non honoravi in vitâ, cupio te vel maximè honorare in morte.

Morior propter Gloriam tuam, & ut humillimè venerer immortalitatem tuæ Essentiæ, per destructionem vitæ meæ. Cuperem per mortem meam tantum gloriæ tibi tribuere, quantum dilectus Filius tuus per suam mortem tibi tribuit. O utinam jam nunc possem efficere, ut honorareris ab omnibus mentibus, ut amareris ab omnibus cordibus, ut laudareris ab omnibus linguis! O sanctissimum Nomen JESU! Tu es omnis Spes mea. Quicunque te invocaverit, salvus erit.

Invoco te cum amore & reverentiâ. Ne itaque permittas me damnari.

Adveniat Regnum Tuum.

Mi DEUS! Quando tandem hoc tempus adveniet? Quando plenè regnabis in corde meo? Quando ego quietè regnabo in corde tuo? Heu! non permisi hactenus te regnare in terrâ. Contestatus sum totâ vitâ meâ, quòd non haberem alium Regem nisi Cæsarem. Transcripsi cor meum, quod est regnum tuum, potestati dæmonis. Permisi in eo regnare omnes hostes tuos.

Sed mi Deus! per tuam gratiam agnosco errorem meum, & perfidiam meam. Fateor, quòd mortem merear. Accepto illam ex to-

to corde meo in ſatisfactionem peccatorum meorum. Spero, quòd mihi daturus ſis ingreſſum in Regnum tuum, quamvis te rejecerim ex Regno cordis mei. O quàm beati, mi Deus! ſunt, qui habitant in domo tua: in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Beati, qui tibi ſerviunt ſuper terram, quia tecum regnabunt in cælo.

Anima mea! ſolatium cape. Ecce Regnum DEI appropinquat. Non niſi unicum momentum tribulationis tibi reſtat.

Quid non faciendum eſt, ut corona obtineatur? Quid non patiendum eſt, ut paradiſus comparetur?

FIAT VOLUNTAS TUA, SICUT IN CÆLO ET IN TERRA.

MI DEUS! ſentio immenſos dolores, corpus meum cruciatibus opprimitur. Mors undique me impertit. Non poſſum ultrà reſiſtere inſultibus ejus. Propinat mihi hauriendum calicem perquàm amarum: An nullus ſupereſt modus, removendi illum ab ore meo? Verum tamen tua voluntas fiat, non mea.

Mi DEUS! intuere animam meam in agonia. Mens mea turbatur morte appropinquante. Timet periculoſum hunc tranſitum; ægrè deſerit corpus ſuum, optaret diutiùs morari ſuper terram, ad redimendum tempus præteritum, & reparandas jacturas, quas paſſa eſt. Oportètne bibere hunc calicem?

An non poteſt obtineri remiſſio? Mi DEUS! fiat voluntas tua, non mea. Utinam eam integrè adimpleam moriendo, quoniam ſæpè illam transgreſſus ſum vivendo.

O mi DEUS! Si poſſem non mori, mortem tamen à te peterem gratiæ loco, ut ſacrificare tibi poſſem, quod chariſſimum mihi eſt in mundo. Ut poſſem imitari Filium tuum, & gratum me ſiſtere amori ejus, ac bibere ejus calicem.

Volo equidem conſumi in hoc lecto dolorum, & in altari crucis meæ, ut victima Majeſtatis tuæ, ut victima juſtitiæ tuæ, ut victima amoris tui, ut victima Gratiæ tuæ, ut victima Gloriæ tuæ.

PANEM NOSTRUM QUOTIDIANUM DA NOBIS HODIE.

BEatus ille, qui manducabit panem in Regno DEI. Gratias tibi ago, amantiſſime Pater, de omnibus bonis corporalibus, & ſpiritualibus, quæ mihi in hac vita liberaliter es elargitus, & ſuper omnia de Pane Angelorum, quem toties manducavi, ſed pro dolor! ex mea culpa, cum tam modico fructu. O Panis vitæ! non timeo ultrà mortem, quia te ſuſcepi in ultimo morbo meo. Ambulabo in fortitudine Panis hujus uſque ad montem Oreb, qui eſt clara viſio DEI.

Tu promiſiſti, & juraſti. O Veritas æterna! quòd, qui manducabit corpus tuum, & bibet tuum ſanguinem, ſit victurus æter-

nùm

nùm. Ecce in quo fundetur ſpes mea! Ecce unde diſſipentur timores mei! Quoniam uniti fuimus in hâc vitâ, ſpero, neque in alterâ nos dividendos.

O JESU! dona mihi hodie panem meum, confirma me in gratiâ tuâ, ut bene peragam hoc iter æternitatis, & conſtans perſeverem uſque ad finem. Sine hoc pane deliquium patiar, & viribus deficiam, nec unquam potero ad cælum pertingere.

ET DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA SICUT ET NOS DIMITTIMUS DEBITORIBUS NOSTRIS.

DOmine! numerus peccatorum meorum eſt infinitus. Si tu rationes ineas iniquitatum noſtrarum, heu! quis poterit ſubſiſtere? Exſpecto ſalutem meam à pura tua Gratia, & non à tua juſtitia.

Non poſſum ampliùs pœnitentiam agere; non enim jam ſum eo in ſtatu, in quo orare poſſum, aut jejunare. Quid igitur agam, ut mitigem juſtitiam tuam, & ſalutem meam in tuto ponam?

Tu promiſiſti, dimittere illi, qui dimittet, gratiam facere illi, qui & ipſe aliis gratiam faciet. Mi Deus! ignoſco ex toto corde meo omnibus, qui me offenderunt. Rogo te, ut veniam illis largiaris, nec illis imputes malum, quod mihi intulêre. Ah! Neſciebant! quid facerent. Veniam mihi largire, mi Deus! ſicut & ego omnibus veniam impertior. Obliviſcere malorum; quæ tibi intuli; ſicut

ſicut & ego obliviſcor eorum, quæ ab aliis mihi fuerunt illata.

Et ne nos inducas in tentationem.

NUnc, mi Deus! vel maximè opus habeo protectione, & auxilio tuo. Ecce omnes inimici mei circumdant me undique! Ecce Leo rugiens egreſſus eſt de inferno, ut me devoret: at ſi tu mecum ſis, quid habeo, quod timeam? ſi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Si conſiſtant adversùm me caſtra, non timebit cor meum: Si omnes dæmones inferni me inpugnent, non timebo, quoniam tu mecum es, & ſpondes mihi auxilium tuum.

Exurge itaque, Domine, Deus Exercituum! ad adjuvandum me feſtina. Mitte S. Michaëlem Archangelum cum milita Cæleſti in auxilium meum. Nôſti infirmitatem meam, quâ major non eſt in mundo. Præſerva me itaque mi Deus! à tentatione, vel ſaltem non permitte me tentationi ſuccumbere.

Sed libera nos a malo.

A Malo corporis, quòd meritò patior. A malo animæ, quod mihi imminet, libera me à maximo malorum omnium, à malo æterno. Ecce unicum malum, quod timeo! Accepto reliqua omnia, quæcunque vo-

volueris mihi immittere. Paratus ſum luere in Purgatorio, ut ſatisfaciam juſtitiæ tuæ, ſed, ô Deus Miſericordiarum! obſecro te per pretioſum ſanguinem Filii tui JEſu Chriſti, & per amorem, quo illum complexa eſt ſancta Mater ejus Maria, ne me detrudas in infernum, ubi nemo te laudat, nemo te amat. Voca me ad Cælum, ubi te videbo, ubi te amabo, ubi te laudabo in omnem æternitatem. Amen.

Poſſunt etiam prælegi ægro meditationes de ultimis verbis JESU Chriſti in cruce, quæ habeutur in tertia Parte.

SECUNDA PARS MEDITATIONUM

PRO VIA ILLUMINATIVA.

MEDITATIO LIII.

De Curâ propriæ Perfectionis.

PErfecti estote, sicut Pater vester cælestis perfectus est. Filius debet consimilis esse Patri suo. Imago primæ ideæ suæ. Effectus causæ suæ. Discipulus magistro suo. Qui non proficit in schola JESU Christi, non meretur ejus esse discipulus.

Non progredi, est regredi, non proficere, est deficere. Non se emendare, est deteriorem fieri. Non lucrari, est perdere. Non potest quis firmus persistere in fluvio rapaci, quin ascendat aut descendat. Si moraris, descendis. Si quiescis, relaberis. Si dicis: satis est, te ipsum perdis.

Multùm oportet laborare, ut perfectus evadas. Deus possidet felicitatem suam absque

que motu. Angelus eam acquirit levi motu. Homo eam consequitur magno motu. Omnia desunt illi, qui credit, sibi nihil deesse.

Gratia non vult esse sterilis. Amor non potest esse otiosus. Ignis est, qui nunquam dicit: sufficit. Aut ardet, aut extinguitur. Aut crescit, aut diminuitur. Talentum aufferetur ab illo, qui nihil lucri inde colligit. Arbor exscinditur, quæ nullum fructum profert.

O mi Deus! quantum temporis sine fructu perdidi? Quot gratias prodigè dissipavi? Quam exiguum apparatum virtutum comparavi? Quàm nihil hactenus profeci? Totus mundus proficit. Solus ego deficio. Quivis Artifex proficit in arte suâ, ego non addisco scientiam salutis. Discipulus evadit doctior, ego semper ignarus remaneo. Quilibet nititur esse perfectus, solus ego pergo esse imperfectus.

O Divine Magister! ignosce mihi præterita; studiosè enim deinceps mox emendabo. Heu! nondum seriò incepi. O quanta mihi restat via emetienda.

O quàm metuo, ne à nocte obruar! Curramus, ut feramus operæ pretium. Progrediamur, ne repentè à morte obruamur.

Verba S. Scripturæ.

Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester Cælestis perfectus est. Matth. 5. 48.

Nescitis, quod ij, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium:

vium: ſic currite, ut comprehendatis. 1. Cor. 9. 24.

Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum: ſic pugno, non quaſi aërem verberans, ſed caſtigo corpus meum & in ſervitutem redigo: ne fortè, cùm aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar. 1. Cor 9. 26. & 27.

Dixi, nunc cœpi, hæc mutatio Dextræ Excelſi. Pſ. 76. 11.

MEDITATIO LIV.

De Oratione & difficultatibus in eâ occurrentibus.

CUr oportet nos orare? Ut honoremus Majeſtatem Dei. Ut homagium præſtemus Magnitudini ejus. Ut grati agnoſcamus Providentiam ejus. Ut teſtemur ſubjectionem, & indigentiam noſtram. Ut Deum moveamus ad bona nobis præſtanda. Ut nos dignos reddamus ad beneficia ab eo recipienda. Ut dilatemus cor noſtrum, illúdque capax efficiamus gratiarum.

Oratio nos Deo unit, & conjungit. Admovet nos divinis ejus uberibus. Exprimit inde lac gratiæ. Ditat nos bonis ejus. Subvenit neceſſitatibus noſtris. Sublevat indigentias noſtras. Efficit nos potentes, ſicut eſt Deus. Facit, ut triumphemus de ipſo Deo. Corpus, quod non reſpirat, eſt mortuum. Anima, quæ non orat, eſt mortua.

Unde accidit, ut nihil à Deo obtineam? Quia petis res peſſimas, & tibi noxias. Quia petis animo culpis inquinato. Quia petis ineptè. Quia petis ſine attentione. Quia petis ſine devotione. Quia petis ſine humilitate. Quia petis ſine fiducia. Quia petis ſine perſeverantia.

Oratio penetrat cælos. Impetrat, quidquid petit. Deus nihil illi poteſt negare. Sicut Dei natura non eſt, niſi bonitas, ita nil magìs deſiderat, quàm ſe diffundere. Eſt nutrix, quæ lacte abundat. Quærit cor vacuum, quod repleat bonis ſuis. Fidem ſuam obligavit. Filius ejus orat in nobis. Dedit nobis Spiritum ſuum. Tranſtulit in nos merita ſua.

Quid non obtinere poſſumus, ſi offeramus Deo merita Filii ejus?

Unde oriuntur diſtractiones meæ? Proveniunt à dæmone, qui orationem tibi vult odioſam reddere. Proveniunt à tua imaginatione, quæ levis eſt & inconſtans. Proveniunt à mente tua, quæ occupatur rebus vanis. Proveniunt à corde tuo, quod creaturis adhæret. Quod eò evolat, ubi eſt theſaurus ejus. Quod conſervatur cum illis, quæ amat. Quod nullam habet in Deo delectationem, quia Deum non diligit. Proveniunt frequenter à corpore, quod Spiritum gravat, & deprimit. Oriuntur ex modica cura, quam habes de tua perfectione. Oriuntur ex corpore tuo, & negligentia. Oriuntur ex infidelitate tua. Sola mortificatio accendit ignem orationis.

Un-

Unde oritur, quòd nullas sentiam consolationes? Quia nullam habes afflictionem. Quia delicias spiritûs nimis avidè concupiscis. Quia frequenter quæris solatia ex creaturis. Ut deprimatur superbia tua. Ut contineаris in humilitate. Ut meliùs cognoscas temetipsum. Ut experimento discas infirmitatem tuam. Ut excitetur desiderium tuum. Ut puniatur negligentia tua. Ut exstimuletur ignavia tua. Ut exerceatur patientia tua. Ut augeatur meritum tuum. Ut abstraharis à sensibus. Ut vivas secundùm spiritum. Ut stabiliaris in fide. Ut firmetur spes tua. Ut purificetur amor tuus. Ut exploretur fidelitas tua; Ut efficiaris homo spiritualis. Ut discas gratiam æstimare, desiderare, conservare, recuperare, ejúsque necessitatem agnoscere. Ut modus imponatur fervori tuo. Ut consulatur sanitati tuæ. Ut promerearis bona à Deo tibi destinata. Ut præparetur cor tuum ad recipiendum insignem aliquem à Deo favorem. Ut abstraharis à meditatione, & transferaris ad unionem.

O mi Deus! veniam supplex à te peto, quòd ab oratione destiterim. Heu! credebam ego, te mihi infensum, quando teneriorem erga me affectum testificaberis. Ero deinceps magìs fidelis. Humiliabo me in paupertate, & indigentia mea. Visitationem tuam exspectabo patienter. Æquo animo perferam quascunque derelictiones meas. Tolerabo libens omnia tædia mea. Nimius mihi honor est, versari in præsentia tua. An

non hoc est in paradiso degere, semper cum Deo commorati?

Verba S. Scripturæ.

Quid oremus, sicut oportet, nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Rom. 8. 26.

Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite. 1. Theff. 5. 16.

Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis, pulsate, & aperietur vobis. Matth. 7. 7.

Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu, & veritate oportet orare. Joan. 4. 24.

Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis. Jacob. 4. 3.

Oratio mea in sinu meo convertetur. Ps. 34. 13.

Et erunt, ut complaceant eloquia oris mei: & meditatio cordis mei in conspectu tuo semper. Ps. 18. 15.

MEDITATIO LV.

De Fide.

Esse sine fide, est esse sine ratione. Qui Christianus non est, neque homo dici meretur. Fides transcendit rationem: sed ratio nobis dictat, quòd homo non sit rationalis, qui rationi suæ subijcere velit principium rationis. Quòd homo sit sine intel-

tellectû, qui ratione ſua vult comprehendere id, quòd multùm excedit ejus intelligentiam.

Fides non eſt evidens: ſed ratio evidenter demonſtrat, quòd habeamus veram fidem. Antiquitas Religionis noſtræ. Conſtitutio Religionis noſtræ. Prædicatio Religionis noſtræ. Diurnitas invariabilis Religionis noſtræ. Miracula Religionis noſtræ. Amplitudo Religionis noſtræ. Sanctitas Religionis noſtræ. Majeſtas Religionis noſtræ. Doctores Religionis noſtræ. Teſtes & Martyres Religionis noſtræ, certò perſuadent cuilibet intellectui ſano, quòd vel nulla Religio ſit in mundo, vel quòd noſtra ſit vera Religio.

Si Eccleſia me fallit, Deus me fallit. Si Eccleſia me in errorem ducit, Deus me in errorem ducit. Non crederem Evangelio, niſi Eccleſia mihi diceret, fidem illi adhibendam eſſe. Non reciperem vel unicum ſenſum Scripturæ, niſi Eccleſia mihi diceret, illum recipiendum eſſe. Nihil credit, qui non omnia credit.

Ut ſis Catholicus, oportet credere univerſaliter. Oportet credere humiliter. Oportet credere efficaciter.

O Veritas Deus meus! in ſole poſuiſti tabernaculum tuum. Eccleſia tua ſolis inſtar refulget. Illuminat totum mundum ſicut ſol. Vitam tribuit toti mundo, ſicut ſol.

Volo vivere, & mori Filius Eccleſiæ tuæ. Sum una de ovibus tuis. Non poſſum vivere ſine Paſtore. Renuntio propriis meis dictaminibus. Submitto me penitùs effatis Fidei. Religio mea non eſſet Divina, niſi tranſcen-

deret rationem meam. Tu non esses Deus meus, nisi esses incomprehensibilis. Cor meum non posset te adorare, si mens mea te posset comprehendere. Cor meum submittere se debet legi tuæ Mens mea subijcere se debet fidei tuæ.

Verba S. Scripturæ.

Ecce! qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso, justus autem in fide sua vivet. Hab. 2. 4.

Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. Hebr. 11. 1.

In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium fidei. 2. Cor. 10. 5.

Si non credideritis, non permanebitis. Isa. 7. 9. juxta 70.

Habemus firmiorem Propheticum sermonem: cui bene facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco. 2. Petr. 1. 19.

MEDITATIO LVI.

De fidei Directione.

RAtio est lumen hominis. Fides est lumen Christiani. Ut sis homo, oportet te esse rationalem. Ut sis Christianus, oportet te esse fidelem.

Deus honorari debet tam ab intellectu, quàm à voluntate mea. Honoro Deum voluntate mea, quando obedio legi ejus. Honoro

noro Deum intellectu meo, quando fidem præsto revelationi ejus. Voluntas mea integrè se submittit, quando facit, quod ipsi non placet. Intellectus meus se perfectè submittit, quando credit, quod non intelligit.

Fides consecrat intellectum hominis. Efficit illum Religiosum. Subjicit illum Auctoritati Dei. Sacrificat illum gloriæ Dei. Unit illum sapientiæ Dei. Replet illum veritate Dei. Efficit illum rectum, certum, & falli nescium, sicut est Deus.

Fides nobis manifestat mysteria Religionis nostræ. Deducit nos ad finem nostrum. Conservat nos in unitate. Retinet nos in humilitate. Sustinet spem nostram. Animat charitatem nostram. Disponit nos ad gratiam. Efficit, ut promereamur gloriam.

Sine fide mens nostra profana est, æquo solutior, & sine Religione. Errat in cognitionibus suis. Hallucinatur in ratiocinationibus suis. Non attolit se super terram. Nullum meretur cœleste præmium. Non se subjicit suo principio. Non obedit supremo Domino suo. Nunquam intuebitur primam Veritatem.

O quàm fides est ingens Dei donum! O quàm cæcus est homo, qui fidem non habet! O quàm rationabile, est mentem suam Deo subjicere!

Mi Deus! Credo quod non intelligo. Operor, quod mihi non placet. Adoro te, submittendo tibi cogitationes meas, Amo te submittendo tibi desideria mea. Ut obediam legi tuæ, oportet renuntiare propriæ voluntati

meæ. Ut obediam fidei tuæ, oportet me renuntiare propriis dictaminibus meis. Nemo tibi verè subjectus est, qui non vult agere, nisi quæ ipsi libent. Nemo Discipulus tuus est, qui non vult credere, nisi quæ ipse intelligit. Ut sim subditus tuus, necesse est, ut transcendam propensionem meam. Ut sim Discipulus tuus, necesse est, ut transcendam rationem meam.

Verba S. Scripturæ.

Per fidem ambulamus, & non per speciem. 2. Cor. 5. 7.

Sponsabo te mihi in fide: & scies, quia ego Dominus. Os. 2. 2 .

Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam. Rom. 4. 3.

Exiit nesciens, quò iret. Heb. 11. 8.

In columna nubis loquebatur ad eos. Psal. 98. 7.

Nónne Deo subjecta erit anima mea? Psal. 61. 2.

MEDITATIO LVII.

De Spe, & Fiducia in Deum.

SPes est virtus Divina, quæ innititur dilecto suo. Honorat ejus bonitatem. Reddit homagium ejus magnitudini. Agnoscit ejus Providentiam. Ex hominibus nos Deos efficit. Ex infirmis nos omnipotentes reddit. Ex pauperibus nos divites facit.

Nun.

Nunquam magìs oportet ſperare, quàm cùm omnia videntur deſperata. Nunquam minùs oportet timere, quàm cùm omnia videntur eſſe metueuda. Nunquam oportet ſe Deo magìs committere, quàm, cùm quis credit, ſe penitùs eſſe derelictum.

Deus communicat ſuam ſubſiſtentiam illi, qui propriâ ſe exſpoliat. Deus communicat ſuam omnipotentiam illi, qui agnoſcit infirmitatem ſuam. Deus communicat ſuos theſauros illi, qui agnoſcit indigentiam ſuam.

Abundantia quærit egeſtatem. Debilis innititur forti. Fortis ſibi complacet in infirmo. Deus ſuſtentat humanitatem, quæ non innititur, niſi ejus Divinitati.

Nulli fulcro innitere, & Deus te ſuſtentabit. Ne habeas ſubſiſtentiam humanam, & habebis Divinam. Non fidas tuis dictaminibus, & habebis ſapientiam Dei. Non fidas tuis viribus, & habebis potentiam Dei. Non fidas tuis virtutibus, & habebis ſanctitatem Dei.

Ah mi Deus! Quis ſum ego, & quis es tu? Tu es meum eſſe, & ego non ſum, niſi nihilum. Tu es meum robur, & ego non ſum, niſi infirmitas. Tu es mea ſanctitas, & ego non ſum, niſi malitia. O Deus meus, ſpes mea! Totum me tibi committo. In te quieſco. Tibi ſoli innitor. Si deviem, tu cauſa eris erroris mei. Si cadam, tu cauſa eris lapsûs mei. Si me perdam, tu eris cauſa ruinæ meæ; quia omnem ſpem & fiduciam meam in te figo. Tu non potes me perdere, & in

errorem inducere- Nihil itaque timeo, quia me tibi ex integro committo.

Cognoſcere Deum, & non cognoſcere propriam miſeriam, eſt cauſa nimiæ præfidentiæ. Cognoſcere ſuam miſeriam, & non cognoſcere Deum, eſt cauſa deſperationis. JEſus non ſolùm eſt Deus, ſed Deus Mediator. JEſus non eſt ampliùs JEſus, ſi illi auferas miſericordiam. Non eſt ampliùs Salvator, ſi non miſereatur peccatoris.

Verba S. Scripturæ.

Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, innixa ſuper dilectum ſuum. Cant. 8. 5.

Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt & non deficient. Iſa. 40. 31.

Multa flagella peccatoris, ſperantem autem in Domino, miſericordia circumdabit. Pſal. 13. 10.

Dixit Dominus ad Gedeon: multus tecum eſt populus, nec tradetur Madian in manus ejus: ne glorietur contra me Iſraël, & dicat: meis viribus liberatus ſum. Judic. 7. 2.

Divitibus hujus ſæculi præcipe, non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo, qui præſtat nobis omnia abundè ad fruendum. 1. Tim. 6. 17.

MEDITATIO LVIII.

De Charitate.

CHaritas eſt theſaurus meritorum, qui nos locupletat. Eſt theſaurus gratiarum, qui nos ſanctificat. Eſt theſaurus ſanctitatis, qui nos reddit perfectos. Eſt theſaurus pacis, qui nos beatos efficit.

Charitas delet omnia peccata. Sedat omnes cupiditates. Producit omnes virtutes. Mitigat omnes ærumnas. Reddit nos ſimiles Deo. Unit nos intimè Deo. Transformat nos aliquo modo in Deum. Facit, ut Deus ſit totus noſter, & nos toti ſimus Dei.

Charitas non quærit ſemetipſam. Amat, ut amet. Amor ejus eſt delectatio ejus. Amor ejus eſt merces ejus. Charitas eſt humilis. Patiens. Benigna. Benefaciens. Non eſt aſpera. Non inflatur. Non indignatur. Nemini invidet. Credit omnia. Sperat omnia. Suſtinet omnia. Ignoſcit omnia.

O Charitas Deus meus! cur imperas mihi, ut te amem? An non prohibere potiùs id mihi deberes? Potéſtne mihi obtingere majus bonum, quàm te amare? Potéſtne evenire mihi majus malum, quàm te non amare? Potéſtne mihi minari majorem miſeriam, quàm prohibere mihi amorem tui? Quî fieri poteſt, ut non anemus Deum infinitè bonum? Deum, qui nos infinitè amat? Deum, qui nobis bona confert infinita? Deum, qui intimè nobis conjunctus eſt titulis infinitis?

Interim tamen te non amo, Deus bonitatis! In corde meo non habeo, nisi phantasma charitatis. Superbus sum. Impatiens. Asper. Iracundus. Operor malum. Sum invidus. Nihil sustineo. Nemini ignosco. Heu! quomodo salvabor, cùm nihil habeam charitatis!

O quàm serò te amavi, Bonitas semper antiqua! semper nova! Nunquam deinceps desinam te benedicere, te laudare, & te amare.

Verba S. Scripturæ.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum. Matth. 22. 37.

Finis præcepti charitas, de corde puro, de conscientia bona, & de fide non ficta. 1. Tim. 1. 5.

Charitas operit multitudinem peccatorum. 1. Pet. 4. 8.

Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Luc. 7. 47.

Deus Charitas est, & qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo. 1. Joan. 4. 16.

Hæc est Charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus. 1. Joan. 5. 3.

Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me. Joan. 14. 21.

MEDITATIO LIX.

De Puritate Intentionis.

TOtus es Dei. Totus es propter Deum. Omnia à Deo habes. Ergo nihil operare debes, nisi propter Deum.

Talis est actio tua, qualis est finis tuus. Si finis tuus sit bonus, actio quoque tua bona erit. Si verò finis, quem intendis, malus sit, actio quoque mala erit. Si eundem tibi finem præfigas, quem Deus habet, actio tua sancta erit, sicut actio Dei.

Deus non operatur, nisi propter se, & tu non operaris nisi propter te. Deus non quærit, nisi gloriam suam, & tu non quæris nisi gloriam tuam. Deus te cupit salvare, & tu sponte ruis in interitum. Si nihil opereris propter ipsum, quid potes expectare ab ipso? Si nequam sis tibi ipsi, cui bonus eris?

Deus non respicit manum, sed cor. Non considerat donum, sed affectum donantis. Tantum operaris, quantum vis operari. Tantum donas, quantum vis donare. Tantum lucraris, quantum vis lucrari. Intentio sola quandoque prodest sine actione: sed actio nunquam prodest sine intentione. Places Deo, si vis illi placere. Amas Deum, si vis illum amare. An non meritò solatium hinc capies?

Ah! nolo deinceps laborare propter mundum. Omnino volo deinceps soli Deo servire. Quoniam tibi placet, mi Deus! quis-

quis desiderat tibi placere. Quoniam te amat, quisquis vult te amare. Tu melior es Dominis quibuscunque. Nil ultrà deinceps curabo, quàm ut tibi placeam, & te amem.

Verba S. Scripturæ.

Omnes, quæ sua sunt, quærunt. Phil. 2. 21.

Nunquid est cor tuum rectum; sicut cor meum. 4. Reg. 10. 15.

An quæro hominibus placere? Gal. 1. 10.

Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. Ibid.

Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. 1. Cor. 10. 31.

MEDITATIO LX.

Quæ sit Intentio nobilissima.

NIhil unquam amittitur, cùm Deo servitur. Tantò plus lucri comparatur, quantò minùs concupiscitur. Potest quidem Deo præstari obsequium, ut lucrum inde capiatur: sed hoc obsequium non est magni lucri.

Verus amor se ipso contentus est. Id quod diligit, mercedis loco habet. Suspectus est amor, qui quærit aliquid cum Deo. Mercenarius est amor, qui exspectat aliud bonum, quàm Deum. Infirmus est amor, cui aliud placet, quàm Deus. Perfectus est amor, qui Deo contentus est.

Ope-

Operari, ut aliquid lucrer, est obsequium spectans proprium commodum. Operari, ut sim perfectus, est amor nondum usquequaque purus. Operari, ut Deo placeam, est amor nascens. Operari, quia Deus mihi placet, est amor consumatus.

Mi Deus! vires non habeo, usque adeò evolandi in altum. Cor meum terræ nimis affixum hæret. Neque ita facilè attollere se potest super cælos. Serviam, antequam diligam. Osculabor manum tuam, antequam osculer os tuum. Amabo remunerationem tuam, ut nihil aliud obtineam, quàm amorem tuum.

O quàm dives ero, quando non operabor, nisi propter te. O quàm perfectus ero, quando non alteri desiderabo placere, nisi tibi. O quàm beatus ero, quando nihil amabo, præter te.

Verba S. Scripturæ.

Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem. Ps. 118. 112.

Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Psal. 72. 25. & 26.

Nemo, quod suum est, quærat. 1. Cor. 10. 24.

Tibi soli. Ps. 50. 6.

Non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra. 1. Thess. 2. 4.

MEDITATIO LXI.

De Signis puræ Intentionis.

SI operer ſine turbatione. Si operer, ſine ſollicitâ feſtinatione. Si operer ſine teſte. Si operer, ac ſi non niſi Deus & ego eſſemus in mundo. Si gratum mihi accidat, quòd alii operentur, ſicut ego. Si gaudeam, quando alii operantur plus, quàm ego. Si non ægrè feram, quando opus meum ab alio interrumpitur. Si æquo animo accipiam, quando opus meum felicem ſucceſſum non habet.

Si æque amem malum operis ſucceſſum ac bonum: Si æquè amem, quietem, ac occupationem. Si æquè amem nihil agere, quando Deus ita vult, ac multum agere. Si amem contemptum, ſicut gloriam. Si poſt rem bene geſtam non mihi vanè complaceam. Signum eſt, quòd habeam puram intentionem.

O mi Deus! quàm multùm hactenus laboravi, & nihil lucratus ſum! Multum ſollicitudinis impendi, nec quidquam fructûs collegi. Feſtinanter ambluavi, & nullum progreſſum feci. Laboravi pro terrâ, nihil egi pro cælo? Laboravi pro corpore, nihil egi pro animâ. Laboravi pro tempore, nihil egi pro æternitate. Laboravi pro me ipſo, nihil egi pro te.

O Domine! Quoniam non ſum creatus, niſi propter te, nolo vivere niſi propter te.

Quoniam non subsisto, nisi per te, nolo operari nisi propter te. Unica deinceps obsequii mei merces erit, tibi servisse. Merces amoris mei erit, te amâsse. Quando non quæram nisi te, in te, & tecum inveniam omnia

Verba S. Scripturæ.

Nónne cor tuum rectum? 4. Reg. 10. 15.

Quem quæritis? Joan. 18. 4.

Mulier, quid ploras? Joan. 20. 13.

Martha, Martha sollicita es, & turbaris erga plurima: porrò unum est necessarium. Luc. 10. 41.

Regi sæculorum immortali, & invisibili, soli Deo honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen. 1. Tim. 1. 17.

Quæ placita sunt ei, facio semper. Joan. 8. 29.

MEDITATIO LXII.

De Humilitate.

QUis es tu, mi Deus! & quis sum ego? Tu es omnia, & ego nihil. Tu scis omnia, & ego nihil. Tu potes omnia, & ego nihil. Tu non es nisi lumen, & ego non sum nisi tenebræ. Tu es fortitudo, & ego infirmitas. Tu es sanctitas, & ego malitia. Tu es Sanctus Sanctorum, & ego sum peccator peccatorum. Tu es Rex Regum, & ego mancipium mancipiorum. O quàm tecum fortis sum! O quàm sine te infirmus sum.

Anima mea! humilia te, aut Deus te humiliabit. Quid habes, quod non accepiſti? Quid habes, quod ex te ipſo poſſis conſervare? Quid habes, quod non poſſis bene uti? Virtutes tuæ, ſine humilitate non te ſalvabunt. Vitia tua cum humilitate non te damnabunt. Humilitas enim expellit omnia vitia, eorúmque loco introducit charitatem. Etiamſi fuiſſes æquè impius ac Achab, ſi te humilies, Deus non te puniet. Deus enim ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.

Poteriſne deinceps dicere, ſalutem tuam eſſe impoſſibilem? Viam ad cælum eſſe nimis arduam? Non poteſt unuſquiſque ſe extollere; ſed quis eſt, qui ſe non poſſit deprimere? Totus mundus non poteſt aſcendere, ſed quis eſt, qui non poſſit deſcendere?

Omnia poſſum facere, ſi me poſſim humiliare. Non poſſum jejunare: ſed poſſum me humiliare. Non poſſum plorare: ſed poſſum me humiliare. Non poſſum orare: ſed poſſum me humiliare. Virtus humilitatis ſupplet defectum Charitatis. Peccator ſecurus eſt intra brachia humilitatis. Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpiciet.

O Anima mea! Toleremus contemptum. Deſpiciamus contemptum. Amemus contemptum. Deſideremus contemptum. Quæramus eontemptum.

Abſcondamus theſauros noſtros, ne quis nobis eos eripiat. Deprimamus nos, ut Deus nos extollat. Æſtimemus errores inculpabiles, qui nobis accerſunt confuſionem. Ame-

Amemus omnia, quæ nos continent in abjectione.

Esse bonum, & apparere bonum, est res periculosa. Apparere bonum, & non esse bonum, est hypocrisis vitiosa. Esse bonum, & non apparere bonum, est conditio beata.

Verba S. Scripturæ.

Humilia valde spiritum tuum, quia vindicta carnis impii ignis. Eccli. 7. 19.

Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris. Matth. 11. 28. & 29.

Quicunque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister, & qui voluerit inter vos primus esse, sit vester servus. Marc. 10. 43. & 44.

Qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. Luc. 14. 11.

MEDITATIO LXIII.

De Patientia.

QUidquid patior, nihil est, in comparatione pœnæ, quam promerui. In comparatione gloriæ, quæ mihi est præparata. In comparatione mali, quod commisi. In comparatione boni, quod omisi. In comparatione cæli, quod mihi promissum est.

Si absque cruce vivam, non sum Discipulus JEsu. Si non bajulem crucem meam, non regnabo cum JEsu. Necessarium est pati, sive in tempore, sive in æternitate.

Non transitur à deliciis ad delicias: sed à deliciis ad supplicia. Non transitur à felicitate ad felicitatem: sed à felicitate ad infelicitatem.

Quando adversa patienter sustineo, JEsus mecum patitur. JEsus regnat in me. Sum Victima amoris ejus. Sum Thronus gratiæ ejus. Sum Trophæum gloriæ ejus. Satisfacio omnibus debitis meis. Congrego ingentes thesauros. Exerceo omnes virtutes. Habeo signum prædestinatorum. Prævenio pœnas purgatorii. Securus sum de Paradiso.

O JEsu Salvator mi! Reverenter excipiam omnes ærumnas meas, quia tu eas consecrâsti. Non sentio amplius crueem meam, quando cogito crucem tuam. Omnis consolatio mea est, meditari Crucem & Passionem tuam. Tormenta tua dulces efficiunt afflictiones meas. Morerer præ dolore, si viverem absque dolore.

Verba S. Scripturæ.

Non sunt condignæ passiones hujus temporis, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Rom. 8. 18.

Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Act. 14. 21.

Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. Hebr. 10. 36.

Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Matth. 16. 24.

MEDITATIO LXIV.

De Exercitio Patientiæ.

QUoniam patiendum est in hoc mundo, ne perdamus fructum tolerantiæ, patiamur propter JESUM. Patiamur cum JESU. Patiamur à JESU. Patiamur, sicut JESUS,

Patiamur sine quærela, & sine murmuratione. Patiamur cum resignatione & indifferentia. Patiamur fortiter, & constanter. Patiamur cum gaudio & amore.

Patiamur omnia adversa. Patiamur à toto mundo. Patiamur in omni tempore. Patiamur omnibus modis.

Toleremus Crucem. Adoremus Crucem. Amemus Crucem. Quæramus Crucem.

O sancta Crux! Adoro te. Amplector te, quia Christianus sum, & filius Crucis. Volo vivere, & mori in Cruce. Tu es arbor vitæ, & salus mundi. Tu es asylum peccatorum, & solatium afflictorum. Ah! maxima deinceps crux mihi erit, vivere sine cruce.

Verba S. Scripturæ.

Væ his, qui perdiderunt sustinentiam. Eccli. 2. 16.

Hæc est gratia Dei, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias patiens injustè. 1. Petr. 2. 19.

Omne, quod tibi applicitum fuerit, accipe: & in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe. Eccli. 2. 4.

Gloriamur in tribulationibus, scientes, quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem. Rom. 5. 3. & 4.

Patientes estote ad omnes. 1. Thess. 5. 14.

Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. 1. Petr. 2. 21.

MEDITATIO LXV.

De Cruce, seu variis Motivis patiendi.

TOlle Crucem tuam, anima Christiana. Non reperies aliam, quæ magis tibi sit propria, quàm tua. Si hanc deseras, ut aliam arripias, plus damni, quàm lucri accipis. Crux ubique plantata est. Reperitur in omni loco, tam in Palatiis, quàm Claustris. Deus, qui vult omnes homines salvos fieri, omnibus prospexit de Cruce: quia nemo salvari potest sine cruce.

Crux fructus profert admirabiles. Avellit nos à Creaturis. Tædium affert hujus vitæ. Accendit in nobis desiderium mortis. Satisfacit pro nostris peccatis. Facit nos sentire nostrorum criminum pœnas. Incutit horrorem sceleris. Destruit pravos habitus. Efficit nos similes JEsu Christo. Porrigit nobis hauriendum ejus calicem.

Ni-

Nihil gloriosius est, quàm pati. Nihil suavius est, quàm pati. Nihil salubrius est, quàm pati. Nihil magìs necessarium, quàm pati.

Quantus honor est, crucifigi cum JEsu? Tractari, sicut unum ex membris ejus? Conscendere Regium ejus Thronum? Portare sceptrum ejus, & Diadema ejus? Consummare opus Redemptionis ejus? Adimplere ea, quæ desunt Passioni ejus? Exprimere figuram JEsu patientis? Continuare sacrificium ejus? Participem fieri dolorum ejus? Adjuvare eum in cruce portanda. Esse victimam amoris, sicut ipse! Esse Martyrem, sicut ipse? Persecutionem pati, sicut ipse? Immolari, sicut ipse? Adoro tormenta, veluti Sacramenta. Revereor hominem afflictum, sicut JEsum crucifixum. Malo pati cum JEsu, quàm regnare cum JEsu.

Deus castigat, quos amat. Non parcit virgæ filiis infligendæ. Si non castiger, non diligor. Si non sim filius Dei, non salvabor. Nunquam Deus magìs irascitur; quàm cùm non irascitur. Nunquam magìs abundo solatiis, quàm, cùm me video calamitatibus cumulatum.

Qui me punit in tempore, parcet mihi in æternitate. Deus semper visitat per suam gratiam, quos visitat per afflictionem. Gratia est fructus Crucis. Oportet itaque Crucem conscendere, ut fructum inde colligas. Nunquam eris sine gratia, quamdiu hærebis in cruce.

Nulla est virtus sine Cruce. Nullum est meritum sine patientia. Tolle Crucem charitatis, non erit ampliùs tenera. Tolle Crucem

ſpei, non erit ampliùs firma. Tolle Crucem humilitati, non erit niſi vanitas. Tolle Crucem fortitudini, non erit niſi infirmitas. Moneta nullius valoris eſt, niſi impreſſam habeat effigiem Principis. Hæc autem per tunſiones, & preſſuras auro imprimitur, eíque valorem tribuit. Si vulnera non habeas, ſi tunſionibus non premaris, nullius pretii eris. Aurum tuum non habebit valorem, niſi Crux illi ſit impreſſa, aut inſculpta.

O quàm perfectus eſt homo patiens! Omnes virtutes ejus ſunt Heroicæ. Credit ſe amari, quando affligitur. Credit ſe à Deo in deliciis haberi, quando flagellis plectitur. Sperat contra omnem ſpem. Tranquillus eſt in quibuſcunque eventibus. Immobilis eſt in ſua ruina. Indefeſſus eſt in ſuis laboribus.

Amat Deum etiam ſine ſolatiis. Oſculatur virgas, quibus caſtigatur. Indignum ſe credit omnibus bonis. Dignum ſe æſtimat omnibus malis. Totum ſe committit Divinæ Providentiæ. Obedientiæ ductum in omnibus ſequitur. Adorat omnes cruces, veluti ſacras Reliquias veræ Crucis JEſu Chriſti.

Deus ſapiens eſt, novit optimè, quid agat. Bonus eſt, non vult, niſi quæ mihi conducentia novit. Immenſus eſt & ubique præſens, videt quæcunque patior. Potens eſt, poteſt me liberare. Dives eſt, poteſt mihi aſſiſtere. Juſtus eſt, cur ergo contra ipſum querar? Eſt amans mei, cur ergo deſperem? Patiens eſt, an non ergo imitari me illum par eſt? Rex eſt, an non ergo pro ſuo arbitrio, me poteſt regere? Supremus Dominus eſt, an non ergo plenum jus habet, mihi quidlibet imperandi, & imponendi?

Quantum eſt ſolatium, hærere in Cruce cum JEſu crucifixo? Ille tecum eſt in tua Cruce. Tu cum ipſo es in Cruce ejus. Unitus eſt tibi per tolerantiam. Tu ipſi uniris per patientiam. An non beatum eſt, hac ratione illi unitum vivere; Unio in cælo ſolatiis cumulat. Unio in terra dolores infligit.

Deus mundum creavit, agendo. Sed reparavit illum, patiendo. Operatur ut Deus cum operantibus, patitur ut homo cum patientibus. O anima mea! quod majus eſt gaudium, quàm eſſe cum JEſu in Cruce? Non es Chriſtianus, niſi per crucem. Nec perſeveras eſſe Chriſtianus, ſi vivas ſine cruce. Afflictiones nimirum timere, eſt renuntiare Religioni ſuæ.

Particeps eris gaudiorum JEſu, ſi particeps ſis dolorum ejus. Socius illi eris in gloria, ſi ſocietatem illi præſtes in Paſſione. Regnabis cum illo, ſi patiaris cum illo. Certandum tibi eſt, ut coroneris. Patiendum tibi eſt, ut ſalveris. Homo perditus fuit per delectationem, unde & ſalvari non poteſt, niſi per afflictionem.

JESUS vixit in dolore, & tu vivere cupis in delectatione? Innocens fuit caſtigatus, & multorum criminum reus vult ſibi parci? Filius coronatus eſt ſpinis, & mancipium roſis vult coronari? Juſtus cruci fuit affixus, & impius vult conſcendere thronum?

Nulla Crux gravior eſt, quàm abhorrere à Cruce. Multi plus patiuntur, ut damnentur, quàm patiantur, ut ſalventur. Impius patitur ſine delectatione. Nullum habet ſolatium in ærumnis ſuis. Crux impii non habet unctio-

nem. Eſt Crux perditi Latronis. Nec ſuavitatem habet, nec meritum. Nemo illi auxilio eſt in Cruce bajulandâ. Eſt Crux deſperatorum.

Honoremus Crucem JEſu. Bajulemus Crucem JEſu. Amemus Crucem JEſu. Crux eſt myſtica ſcala Jacob. Crux eſt Thronus Sapientiæ. Crux eſt Cathedra hominis Dei. Crux eſt Trophæum ſalutis noſtræ. Crux eſt vexillum Religionis noſtræ. Crux eſt ſignum Prædeſtinationis. Crux eſt Principium gratiæ. Crux eſt fundamentum Gloriæ.

O ſancta Crux! adoro te. O chara Sponſa Filii Dei! Exoſculor te, amplector te. Ne quæſo, dedignare ſervum, quæ portâſti Dominum. Ne dedignare reum, quæ portâſti Innocentem. Ne dedignare hominem, quæ portâſti Deum. O ſancta Crux! Tu ſpeciali titulo mihi deberis. Sancti nullum in te jus habent. Tu es debita hominibus in hac lacrimarum valle exulantibus. Tu es hæreditas peccatorum. Tu es portio Chriſtianorum, Mihi itaque deſtinata es.

Veni ſancta Crux intra brachia mea. Permitte, ut requieſcam intra brachia tua. Deſponſavi te mihi in Baptiſmo. Oportet connubium hoc noſtrum eſſe indiſſolubile. O utinam nihil unquam me ſeparet à te! O utinam nihil unquam te ſeparet à me! O ſolium gratiæ & miſericordiæ! Extolle me à terrâ, ſicut exaltâſti Salvatorem meum. Si moriar intra brachia tua, Salvator ero, & ſalvus ero. Deo animas lucrabor, & meam non perdam.

Verba

Verba S. Scripturæ.

Benedictum est lignum, per quod fit justitia. Sap. 14 17.

Tunc JESUS dixit discipulis suis: si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me. Matth. 16. 24.

Verbum Crucis pereuntibus quidem stultitia est, iis autem, qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est. 1. Cor. 1. 18.

Gaudeo in Passionibus pro vobis, & impleo ea, quæ desunt Passionum Christi, in carne meâ, pro corpore ejus, quod est Ecclesia. Col. 1. 24.

Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri JESU Christi. Gal. 6. 14.

Exacerbavit Dominum peccator, secundùm multitudinem iræ suæ non quæret. Ps. 10. 4.

MEDITATIO LXVI.

De Conformitate Voluntatis nostræ cum Divinâ.

JUdicare sicut judicat Deus, est esse sapientem sicut Deus. Velle id, quod vult Deus, est esse Sanctum sicut Deus. Judicium ejus est Regula judicii nostri. Voluntas ejus est Regula voluntatis nostræ.

Solus Deus habet jus faciendi, quod vult. Soli Deo fas est, propriam exequi voluntatem. Anima mea! Túne recusas obedire Deo? Sempérne

pérne illi bellum movebis? Vísne luctari cum Omnipotente? Num brachium habes sicut Deus? Esne sapientior Deo? An modum illi præscribes gubernandi mundum? Si nolis exequi voluntatem ejus, conaris illi rapere coronam ejus, paras conscendere Thronum ejus, appetis nulli subjectus esse, sicut ille. Æquiúsne est, ut Deus faciat, quod tibi libet, an ut tu impleas beneplacitum ejus?

O quàm felix esses; si non velles, nisi quod Deus vult! O quàm viveres in profundâ pace! O quàm diversam negotia tua induerent formam! O quot curis, & inquietudinibus liber esses!

Deus promovet negotia illorum, qui ipsius negotia exequuntur, Curam gerit illorum, qui confidunt in ipso. Obedit illis, qui ipsi obediunt, Amat illos, qui ipsum amant. Implet desideria eorum, qui ipsius implent.

An non hoc est, in Paradiso degere, velle omnia, quæ Deus vult? An non hoc est, infernum incolere, nihil velle eorum, quæ Deus vult? Homo semper facit suam voluntatem, quando nullam habet propriam voluntatem. Homo nunquam facit, quod vult, quando non facit id, quod Deus vult.

Voluntas Dei semper impletur, sive hoc, sive illo modo. Si illi repugnem, repugnabit & ille mihi. Si illum affligam, affliget me. Si illum interpellem, ipse quoque consilia mea perturbabit. Si illi serviam, & mihi serviet.

O mi Deus! Nulla ſanè eſt delectatio, tibi diſplicere, nullum eſt commodum, te offendere. Quando tecum non bene convenio, neque mecum ipſo ſatìs convenio. Poſtquam tibi bellum movi, nunquam potui invenire pacem. Conſtitue de me, quidquid tibi placet, ſi nolim facere, quod à me fieri cupis. Fac ut ſerviam tibi, niſi velim amare te. Compelle me, ſi recuſem tibi obedire. Trahe me vel invitum, ſi non ſponte tibi velim obſequi.

Verba S. Scripturæ.

Bona & mala, vita & mors, paupertas & honeſtas à Deo ſunt. Eccli. 11. 14.

Inveni virum ſecundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas. Act. 13. 22.

Non contriſtabit juſtum, quidquid ei acciderit. Prov. 12. 21.

Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt. Matth. 12. 50.

Non ſicut ego, ſed ſicut tu. Matth. 26. 63.

MEDITATIO LXVII.

De Amore Proximi.

PRoximus eſt homo, ſicut ego. Eſt formatus ad imaginem Dei, ſicut ego. Eſt redemptus ejus ſanguine, ſicut ego. Eſt membrum corporis ejus, ſicut ego. Eſt filius Eccleſiæ

clesiæ ejus, ſicut ego. Eſt nutritus iisdem Sacramentis, quibus ego. Eſt prædeſtinatus ad eandem gloriam, ad quam ego.

Deus mihi imperat, ut proximum diligam, ſicut meipſum. JESUS orat hoc à me, & mandat. Sibi ipſi præſtitum cenſet, quod proximo exhibetur, beneficium. Sui loco illum ſubſtituit. In eum tranſtulit omne ſuum jus. Vult, ut proximo præſtem, quidquid ipſi debeo.

Non ſum Chriſti Diſcipulus, niſi proximum meum amem. Non ſum Chriſtianus, niſi illi opem feram. Si ipſum contemnam, Deus me contemnet. Si ipſum odio habeam, Deus me odio habebit. Si illum affligam, Deus me affliget. Si illum excuſem, Deus me excuſabit. Si illum tolerem, Deus me tolerabit. Si ei ignoſcam, & mihi Deus ignoſcet. Deus mecum aget, ſicut ego egi cum proximo. Pro menſura charitatis Deus me judicabit.

Amabo itaque proximum, ut amer. Juvabo eum, ut juver. Tolerabo eum, ut tolerer. Salvabo eum, ut ſalver.

Amabo eum tenerè. Amabo eum univerſaliter. Amabo eum generosè. Amabo eum conſtanter.

Verba S. Scripturæ.

Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum. Matth. 19. 19.

Diligere proximum tanquam ſeipſum, majus eſt omnibus holocauſtomatibus, & ſacrificiis. Marc. 12. 33.

Al-

Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis Legem Christi. Gal. 6. 2.

Ante omnia mutuam in vobis metipsis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum. 1. Pet. 4. 8.

In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Joan. 13. 35.

MEDITATIO LXVIII.

De Obligatione Parentum erga liberos, & Dominorum erga servos.

PAter debet Liberis nutrimentum corporis & animæ. Non debet liberos generare, quos in infernum ableget. cur vis esse Pater, si non velis esse moderator? Quid prodest tibi corpus nutrire, si nullam animæ curam habeas?

Prima vita liberorum non est, nisi bestiarum. Non agunt vitam hominum, nisi post aliquem temporis decursum. Prudens institutio efficit, ut ratio illustretur. Sancta educatio, est nova quædam nativitas. Est instrumentum Fidei. Est principium salutis. Est Fundamentum virtutis. Salus & damnatio frequenter dependet ab educatione. Infelices sunt liberi, quibus Parentes nunquam parcunt Sed infeliciores sunt illi, quibus Parentes indulgent omnia.

Bona Educatio debet esse suaviter severa. Parentes oportet imitari Deum, qui gerit officium Patris, & matris. Patris per severitatem, matris per teneritudinem & indulgentiam. Non oportet semper punire; sed nec oportet semper parcere. Non oportet semper tacere; nec oportet semper loqui. Nunquam castiga filium, quando irâ effervescis. Medicus, qui ægrotat, seipsum primò debet curare. Pater iracundiâ nimiùm exardescens, debet ipse priùs corrigi. Pœna, & correctio est medicina, applicanda tempore convenienti. Pœna justa, & moderata mentem emendat & erigit. Quando verò nimis frequenter, nec satis consultò infligitur, generat contemptum.

Ut bene educes filios tuos, oportet eos æqualiter amare. Inæqualis partitio affectionum, est causa omnium discordiarum. Cur differentiam inter liberos statuis, ubi nullam natura constituit? Cur violas jus, quod illa tam sapienter stabilivit? Rami ejusdem arboris, nunquid debent ejusdem generis foliis vestiri? Natura operatur ex ingenita propensione. Qui autem amant verâ charitate, plus boni conferunt in illos, à quibus sentiunt majorem aversionem. Imitare Deum in suâ gubernatione. Nónne Deus erga Prædestinatos majori afficitur teneritudine, quàm erga reprobos? Abscondit tamen illam in hâc vitâ. Unde impii bonis non invident. Sæpè plus amicitiæ exhibet illis, à quibus magis offenditur.

Instructiones modicùm conferunt, nisi animentur exemplis. Destruis actionibus tuis, quod ædificas verbis tuis. Manus plus efficit, quàm lingua. Exempla plus possunt, quàm verba. Filius plus credit oculis suis, quàm credat auribus suis. Credit se habere jus faciendi, quæ videt à parentibus suis fieri. Gloriam suam constituit in parentum imitatione, & se perfectum existimat, si Parentibus similis evadat? Omnia peccata tua sunt scandala, quæ inficiunt liberos tuos. Sunt hæreditas iniquitatis, quæ transeunt ad posteritatem tuam.

Patres, si liberi vobis sint, singulari curâ illos instruite. Corrigite illos moderatè. Amate omnes æqualiter. Non obedite inclinationibus vestris. Non obsecundate aversionibus vestris. Non connivete ad flagitia illorum. Ne blandiamini eorum concupiscentiis. Non fovete eorum vitia. Non sustinete eorum dissensiones. Parcite illis, quando parcendum est. Sed castigate illos, quando sunt castigandi.

Domini, tractate servos vestros, veluti si essent filii vestri. Non sunt quidem filii titulo generationis: sunt autem specie quâdam adoptionis. Deus vobis committit curam eos nutriendi, & educandi. Vos illis debetis, sicut liberis vestris, instructionem, correctionem, & exemplum. Filii vestri, & servi vestri in die Judicii erunt judices vestri, adversarii vestri, testes & accusatores vestri.

Verba S. Scripturæ.

Filii tibi ſunt? erudi illos, & curva illos à pueritia illorum. Eccl. 7. 25.

Patres nolite ad iracundiam provocare filios veſtros, ut non puſillo animo fiant. Col. 3. 21.

Qui parcit virgæ, odit filium ſuum, qui autem diligit illum, inſtanter erudit. Prov. 13. 24.

Qui ſcandalizaverit unum ex puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus & demergatur in profundum maris. Matth. 18. 6.

Si quis ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior. 1. Tim. 5. 8.

MEDITATIO LXIX.

De Mauſuetudine & Irâ.

QUàm beatus eſt homo mitis! Quàm miſer eſt iracundus! Quàm ſapiens eſt homo mitis! Quàm ſtultus eſt iracundus! Quàm dignus amore eſt homo mitis! Quàm dignus odio eſt iracundus! Quàm ſactus eſt homo mitis! Quàm ſceleſtus iracundus!

Eſſe mitem, eſt eſſe hominem. Eſſe iracundum, eſt eſſe beſtiam. Eſſe mitem, eſt eſſe Regem. Eſſe iracundum, eſt eſſe mancipium. Eſſe mitem, eſt eſſe Chriſtianum: eſſe iracundum, eſt eſſe Ethnicum. Eſſe mitem,

tem, est signum prædestinatorum. Esse iracundum est signum reprobatorum.

Homo mitis est similis Deo. Est absoluta imago JEsu Christi. Est Dominus suarum cupiditatum. Revertitur in statum innocentiæ. Gaudet profunda pace. Semper est sibi similis. Spiritus sanctus requiescit in corde ejus. Gratia in eo stabile sibi figit imperium. Deus clementer cum eo agit. Veniam peccatorum ei indulget. Tolerat ejus defectus. Cumulat eum suis gratiis.

Homo iracundus est similis Dæmoni. Semper est furiosus, ut Dæmon. Est mancipium suarum cupiditatum. Est proscriptus ex commercio hominum. Nunquam est in quiete. Nunquam sui ipsius est Dominus. Turbat regnum gratiæ. Expellit è corde suo Spiritum sanctum. Pandit ingressum dæmoni. Nec Deo parcit, nec hominibus. Unde nec ipsi Deus parcit. Tractat eum cum rigore. Castigat eum cum furore. Punit eum sine remissione.

O JESU mitissime inter omnes homines! Miserere mei ferocissimi inter omnes dæmones! mansuetissime Agne! qui permisisti te pelle exui, & jugulari sine ulla contradictione: effice me mitem, & patientem inter adversa. O bone Pastor! qui lupos arces ab ovili tuo! quomodo me toleras in domo tuâ? Quomodo me sustines inter oves tuas: Aut interime crudelem hanc bestiam, aut converte eum in mitem oviculam.

Verba S. Scripturæ.

Ne ſis velox ad iraſcendum, quia ira in ſinu ſtulti requieſcit. Eccl. 7. 10.

Diriget manſuetos in judicio: docebit mites vias ſuas. Pſ. 24. 9.

Semper jurgia quærit malus, Angelus autem crudelis mittetur contra eum. Prov. 17. 11.

Manſueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. 36. 11.

Omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio. Matth. 5. 22.

Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram. Matth 5. 4.

MEDITATIO LXX.

De Remediis Iræ.

UT ſis manſuetus, oportet te eſſe humilem. Ira oritur ex ſuperbiâ. Ut ſis maſuetus, oportet odiſſe te ipſum. Ira oritur ex amore proprio. Ut ſis manſuetus, oportet cor eſſe liberum à cupiditate rerum terrenarum: Ira oritur ex amore bonorum creatorum. Qui ſibi ipſis nimiùm ſunt mites, plerumque ſeveriores ſunt ergà alios. Qui mites ſunt erga alios, plerúmque ſeveri ſunt erga ſeipſos.

Quid commodi obtines, cùm iraſceris? Deſtruis ſanitatem tuam. Tollis vitam animæ tuæ. Repellis ex ea Spiritum ſanctum! Ingreſſum dæmoni pandis. Non promoves negotia tua. Non mederis malis tuis Perturbas

turbas familiam tuam. Domum tuam inferno similem efficis. An unum malum sanatur ab altero?

O si te irâ succensum posses intueri, videres sanè te transformatum in bestiam. Ululas, instar lupi. Spumas instar apri. Mordes, instar canis. Crudelis es, instar tigris. Furiosus es, instar leonis. Dentibus strides, instar damnati in inferno. Vultum fædè contorques, instar energumeni. Hæccine est imago hominis? Hæccine est imago Christiani? Hæccine est imago Prædestinati?

Quæ causa est, cur irâ exardescas? An Deus nihil à te tolerat? An tu non aliis quoque uberem patiendi materiam præbes? An non inferni suppliciis dignum te effecisti? Nunquid flammis ejus ardere commeruisti? Cur ergo excandescis, quando quis vel minimùm aversatur voluntati tuæ?

Quæ injuria tibi fuit illata? An non bona tua ad Deum pertinent? An non illa pro libitu potest recipere? An non illa jure à te potest repetere, quandocunque, & quacunque ex causa ipsi placet? Quis potest à te tollere capillum capitis tui, si Deus non velit? Quam misericordiam obtinebis à Deo; si non miserearis proximi tui?

O mi Deus! fateor equidem, quòd iniquè irascar, cùm nemo tanta mala inferre mihi possit, quanta fui promeritus. Meritò offendor ab aliis, cùm toties te offenderim. O quàm æquum est, ut alii adversentur voluntati meæ, cum toties resisterim voluntati tuæ! O quàm jure mereor contemni, cùm

toties te contemptui habuerim. An conqueri possum de afflictione mea, cùm toties sceleribus meis te afflixerim?

O mitissime JESU! largire mihi gratiam, ut possim imitari mansuetudinem & patientiam tuam. Propono firmiter arctum custodire silentium, quotiescunque ad iram me sensero commoveri. Nec unquam loqui, quando iracundia me inflammabit.

Verba S. Scripturæ.

Ad quem respiciam, dicit Dominus, nisi ad mansuetum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos? Is. 66. 2.

Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Matth. 5. 4.

Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Matth 11. 29.

Quare iratus es? & cur concidit facies tua? Gen. 4. 6.

MEDITATIO LXXI.

De Actionibus bene peragendis.

DEus à me vult honorari per hanc actionem. Expectat, ut ei obsequium præstem in hac actione. Gratiam suam affixit huic actioni. Agnoscet, utrùm ipsum amem, ex hac actione.

Gloria Dei dependet ex hac actione. Sapientia Dei disposuit hanc actionem. Majestas

tas Dei pretium fecit huic actioni. Sanctitas Dei consecrat hanc actionem. Voluntas Dei imperat hanc actionem. Providentia Dei dirigit hanc actionem. Magnitudo Dei illustrat hanc actionem. Amor Dei exposcit hanc actionem.

Pax mea continetur in hac actione. Meritum meum oritur ex hac actione. Perfectio mea affixa est huic actioni. Deus offendetur, si deficiam in hac actione. Non obtinebo gratias, quæ consequentur hanc actionem. Fortè salus mea dependet ex hac actione.

Omni ergo curâ allaborabo, ut bene peragam hanc actionem.

Verba S. Scripturæ.

Justè, quod justum est, persequeris. Deut. 16. 20.

In omnibus operibus tuis præcelles esto. Eccl. 33. 23.

Maledictus, qui facit opus Dei fraudulenter. Jer. 48. 10.

Reddet unicuique juxta opera ejus. Matth. 16. 27.

Bene omnia fecit. Marc. 7. 37.

MEDITATIO LXXII.

De fidelitate in rebus minimis.

MAgna flumina nascuntur ex parva origine. Magnæ arbores ex modico semine. Magna incendia ex parvâ scintillâ. Magni apsus

ſus ex parvo peccato. Magnæ perturbationes ex levi infidelitate. Magna dependent à parvis. Parva deducunt ad magna. Qui amat, æſtimat omnia. Qui timet, nihil negligit. Magnæ actiones ſatisfaciunt hominibus. Minimæ actiones delectant Deum. Qui infidelis eſt in minimo, nec in majoribus fidelis erit. Qui fidelis eſt in minimo, & in majoribus fidelis erit.

Nihil parvum eſt, ex quo ſalus dependet. Omne, quod æſtimatur à Deo, magnum eſt. Homines conſiderant manus; Deus autem intuetur cor. Fidelitas eſt virtus, magna faciens omnia, quæ animat. Fac, quod nôſti; & Deus te docebit quod ignoras. Fac, quod potes, & Deus te adjuvabit ad faciendum, quod non potes.

O mi Deus! quoniam non poſſum tibi præſtare obſequia grandia, minima ſaltem fideliter tibi præſtabo. Quoniam horreo aggredi ardua, exequar ſaltem omnia, quæ mihi erunt facilia.

Verba S. Scripturæ.

Qui ſpernit modica, paulatim decidet. Eccli. 19. 1.

Qui timet Deum, nihil negligit. Eccli. 7. 19.

Qui fidelis eſt in minimo, & in majori fidelis eſt, & qui in modico iniquus eſt, in majori iniquus eſt. Luc. 16. 10.

Etſi rem grandem tibi dixiſſet Propheta, certè facere debueras, quantò magis, quia nunc dixit

dixit tibi: Lavare & mundaberis. 4. Reg. 5. 13.

Virum fidelem quis inveniet? Prov. 20. 6.

MEDITATIO LXXIII.

De bonis Operibus.

CHriſtianus ſine operibus, eſt arbor ſine fructu. Lampas ſine oleo. Terra ſine meſſe. Fides ejus ſterilis eſt. Fides ejus infirma eſt. Fides ejus morituriens eſt. Fides ejus mortua eſt. Qui nihil operatur, nihil credit. Qui credit, & nihil operatur, judicabitur per fidem ſuam.

Quantò plus cognoſcis, tantò magìs es culpabilis. Parum repetitur ab illo, qui parum recepit. Nihil boni agere, eſt malè agere. Sterilitas eſt ſpecies iniquitatis. Ficus fructibus carens in ignem projicitur. Talentum auffertur ab eo, qui illud ſine lucro in terra defodit.

Fides nos ſalvat, aut damnat. Pejores, aut meliores nos efficit. Credere bonum, & facere malum, eſt judicatum eſſe ante Judicium. Eſt condemnatum eſſe ante accuſationem. Qui non facit, quod credit, citò omittit credere, quod non facit. Fides non diu vivit poſt mortem charitatis.

Fac itaque bona opera. Fac illa abundanter. Fac illa in gratiâ. Fac illa ex bono fine. Fac illa ſine dilatione. Fac tot bona, quot antè feciſti mala. Fac quidquid boni

potes. Et tamen crede, te nihil agere. Operare bonum, dum tempus habes, quia paulò post tempus operandi non erit ampliùs.

Verba S. Scripturæ.

Filius hominis venturus est in gloria Patris, & tunc reddet unicuique secundùm opera ejus. Matth. 16. 27.

Ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere unicuique secundùm opera sua. Apoc. 22. 12.

Vide, quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm. Jac. 2. 24.

Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est. Jac. 2. 26.

Succide illam, ut quid etiam terram occupat? Luc. 13. 7.

Terra venientem super se bibens imbrem, proferens autem spinas ac tribulos reproba est, & maledicto proxima. Hebr. 6. 7. & 8.

Ergo, dum tempus habemus, operemur bonum. Gal. 6. 10.

MEDITATIO LXXIV.

De Eleemosyna.

DIves pendet à paupere. Et pauper pendet à divite. Dives magìs indiget paupere, quàm pauper indigeat divite. Pauper vitam corporis à divite recipit. Dives à paupere recipit vitam animæ. Pauper pendet à divite

pro tempore. Dives pendet à paupere pro æternitate. Sine divite pauper morietur corpore. Sine paupere dives morietur animo. Dives est Judex pauperis in terra. Pauper, erit Judex divitis in cælo.

Gratiæ, & pœnæ ſunt in manu pauperis. Quando pauper petit miſericordiam, Deus eam indulget diviti. Quando pauper petit juſtitiam, Deus illam exercet in divitem. Actum eſt de ſalute divitis, quando non habet favorem pauperum. Nemo poteſt coram Deo defendere illum, quem fames pauperum accuſat. Diem malam experietur, quiſquis pauperes non habuerit patronos in noviſſimo die

Benefac pauperi, quia homo eſt, ſicut tu, & tu es miſer, ſicut ille. Ille indiget te, & tu indiges illo. JESUS recipiet eleemoſynam tuam. Ille eſt conſtitutus in neceſſitate. Ille eſurit in perſona pauperis. Ille reconditus eſt ſub formâ egeni. Ille ibi latet veluti in Sacramento. Pauperem ſuo loco ſubſtituit. In illum omne ſuum jus tranſtulit. Rationem accuratam exiget charitatis tuæ Gratum ſe tibi exhibebit in fine mundi. Túne JESUM ablegabis in ſtabulum? Túne illi negabis veſtem, quâ ſe contegat? Túne recuſabis ei porrigere fruſtillum panis, quo ſe nutriat?

Quamdiu opitularis pauperi, tamdiu non eſt, quòd paupertatem timeas. Nihil unquam tibi deerit, quamdiu non ſines aliquid deeſſe pauperibus. Tu aurum ſeminas, quando pecunias tuas elargiris. Manus pauperum ager eſt, qui centuplum fructum reddit.

JESUS se constituit debitorem tuum? Ille spondet pro paupere. Obligat se per contractum. Promittit tibi bona temporalia. Pollicetur tibi bona æterna. An tu Deo non fidas? An opes tuas illi concreditas, censes malè elocatas? An illi deest modus, tibi liberaliter retribuendi?

O JESU! quàm tenerè dilis pauperes, quia eorum conditionem assumpsisti. Quia pauper fuisti in terrâ, & quia pauper esse vis etiam in cælo. Tu sanè dives es in cælo: sed pauper etiam es in terra, quia lates in persona pauperum, & ipse cum illis eleemosynam rogas. Beatus dives, qui Christo JEsu eleemosynam præbet. Maledictus dives, qui Christo JEsu eleemosynam negat. Dives avarus eleemosynam in morte petet à Deo, quæ ipsi non concedetur. Petet gratiam in die Judicii, quæ illi negabitur.

Verba S. Scripturæ.

Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum. Dan. 4. 24.

Qui viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo Charitas Dei manet in illo? 1. Joan. 3. 17.

Ego præcipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno, & pauperi. Deut. 15. 11.

Date, & dabitur vobis. Luc. 6. 38.

Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem: in die malâ liberabit eum Dominus. Psal. 40. 2.

Venite

Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare, sitivi & dedistis mihi bibere, &c. Matth. 25. 34. 35. & 36.

MEDITATIO LXXV.

De viâ rectâ, per quam Deus Justum deducit.

VIæ Dei sunt admirabiles. Sunt pulchræ. Sunt æquæ. Sunt rectæ. Sunt securæ, Sunt viæ gratiæ, quas natura non novit. Sunt viæ sapientiæ. Incomprehensibiles à ratione. Sunt viæ pacis, quæ mentes tranquillas reddunt. Sunt viæ amoris, quæ corda gaudio complent.

Deus laborat pro nobis, quando videtur esse contra nos. Appropinquat nobis, quando videtur à nobis recedere. Nostra gerit negotia, quando videtur ea evertere. Divites nos efficit, quando videtur nos exspoliare. Vitam nobis tribuit, quando videtur eam nobis eripere.

Ad pacem nos ducit per bellum. Ad perfectionem per imperfectionem. Ad gloriam per ignominiam. Ad thronum per carceres. Ad terram promissionis per desertum. Ad cælum per longum purgatorium.

O mi Deus! nescio, quam arripiam viam, quâ ad te perveniam. Quæ mihi videtur bona, potest esse mala, Dum arbitror, me cælum

lum conſcendere, fortè deſcendo ad infernum. An per proſperitatem, an per adverſitatem? An per pacem, an per bellum? An per gloriam, an per ignominiam? An per abundantiam, an per indigentiam? An per ſanitatem, an per morbum potero ad te pervenire, & ſalutem meam conſequi?

Nemo eſt, niſi tu, qui hoc noveris. Non itaque volo, niſi quod tu vis. Totum me permitto Providentiæ tuæ. Rata habeo, quæcunque de me ſtatueris. Progrediar, quocunque me duxeris. Acceptabo libens, quidquid mihi immiſeris. Plenè conquieſcam, quocunque in loco aut ſtatu me collocaveris. Nunquam inde recedam, niſi tu me indè retraxeris.

Abſtinebo deinceps ab omni libera electione, & propriam penitùs exuam voluntatem, quia non novi, quid mihi proſit, aut obſit. Nihil deinceps ampliùs expetam. Nihil recuſabo. Deduc me, & dirige me, mi Deus! Totum me tibi permitto. Curam habe de me, quia in te unicè quieſco. Tu Paſtor meus es, & ego ſum ovis tua. Si te ſequar, nunquam perturbabor. Si me tibi committam, nunquam damnabor.

Verba S. Scripturæ.

Juſtum deduxit Dominus per vias rectas. Sap. 10. 10.

Viæ ejus viæ pulchræ, & omnes ſemitæ illius pacificæ. Prov. 3. 17.

Eſt

Est via, quæ videtur homini justa: novissima autem ejus deducunt ad mortem. Prov. 14. 12.

Dominus mortificat, & vivificat, deducit ad inferos, & reducit. 1. Reg. 2. 6.

Exiit, nesciens quò iret. Hebr. 11. 8.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem. Psal. 142. 8.

Sicut exaltantur cæli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ, à viis vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris. Is. 55. 9.

MEDITATIO LXXVI.

De felicitate eorum, qui se Dei directioni permittunt.

AUdi Deum sine ratiocinatione. Obedi Deo sine murmuratione. Sequere Deum sine deviatione. Permitte Deum operari, absque ullâ tuâ resistentiâ. Quiesce in Deo, absque perturbatione. Permitte te Deo, sine ullius rei desiderio.

Si eum audias, loquetur tibi. Si ei obedias, solatio te perfundet. Si eum sequaris, deducet te. Si eum operari finas, omnia tibi prosperè succedent. Si in illo confidas, conservabit te. Si te illi ex integro committas, salvabit te.

O Veritas, Deus meus! Sapientia mea, & benedictio mea! ne permittas me sensui meo, & propriæ directioni meæ. Si te deseram, heu! sum perditus. Non sum, securus nisi tecum sim. Si ambulem, dirige me. Si

aber-

aberrem, revoca me. Si in via hæream, ſtimula me. Si cadam, ſubleva me. Si laſſeſcam, robora me. Si infirmer, porta me. Si ab hoſtibus oppugner, defende me. Si perditus ſim, quære me.

Sino me plenè dirigi à ſapientia tua. Conquieſco in Bonitate tua. Innitor fortitudini tuæ. Confido in Miſericordia tua. Arctè inhæreo voluntati tuæ. Devoveo me obſequio tuo. Me totum committo Providentiæ tuæ nunc, & in æternum.

Verba S. Scripturæ.

Deduc me Domine in viâ tuâ. Pſ. 85. 11.

Sub umbra alarum tuarum protege me. Pſ. 16. 8.

Erravi ſicut ovis, quæ periit: quære ſervum tuum. Pſ. 118. 176.

Deduxit illos in via mirabili. Sap. 10. 17.

MEDITATIO LXXVII.

De infelicitate eorum, qui ſe ſubtrahunt directioni Dei.

QUi recedit à ſemitâ bonitatis, intrat ſemitam juſtitiæ. Qui ſe avertit à via manſuetudinis, ingreditur viam rigoris. Qui non habet Deum amicum, habet illum inimicum. Qui fugit voluntatem bene facientis, incidit in voluntatem punientis.

Si illic ſim, ubi Deus me eſſe vult, ero in quiete, & ſecuritate. Sapientia ejus deducet me. Potentia ejus proteget me. Bonitas ejus ſolabitur me. Gratia ejus ſanctificabit me. Benedictio ejus comitabitur me. Miſericordia ejus circumdabit me.

Si non ſim, ubi Deus me eſſe vult, omnes paſſus mei errores erunt. Omnes viæ meæ præcipitia erunt. Omnia conſilia mea illuſiones erunt. Omnes labores mei vanæ occupationes erunt. Omnes deliciæ meæ miſeriæ erunt. Omnes proſperitates meæ caſtigationes erunt. Omnes adverſitates meæ, cauſæ deſperationis erunt.

Non habeo quietem in mente mea. Neque pacem in corde meo. Neque benedictionem in laboribus meis. Neque conſolationem in ærumnis meis. Præda fiam concupiſcentiis meis. Exercebor tentationibus. Deſtituar protectione tua. Percutiar maledictione tua. Vitam agam ſceleribus infamem. Mortem expectare debeo peſſimam. Vivam in perturbatione, & moriar in deſperatione.

An eo jam in loco ſum, in quo Deus me eſſe vult? An reſpondi vocationi meæ? An Deus hanc occupationem mihi injunxit? An ſponte me ingeſſi in hoc officium? An Deus vult, ut in hoc ſtatu & conditione ſim? An ita obeo munus meum, ſicut ipſe vult?

O mi Deus! quàm timeo, ne aberrem à viis tuis. Quàm volupe mihi eſt, me totum permittere Providentiæ tuæ! An non hoc eſt morari in cælo, ſemper tecum verſari?

ri? An non hoc est infernum incolere, à te semper exulare. An malè cum illo agitur, qui est, ubi tu eum vis esse? An bene cum illo agitur, qui non est, ubi tu eum vis esse? Non permitte mi Deus, ut me avertam à directione tua. Reduc me in viam rectam, si ab ea aberravi. Compelle me redire in viam vanitatis tuæ, per rigidum mandatum justitiæ tuæ. Da, ut reparem per patientiam errorem actionis meæ. Da, ut recuperem innocentiam meam per rigores pœnitentiæ.

Verba S. Scripturæ.

Nunquid non istud factum est tibi, quia reliquisti Dominum Deum tuum eo tempore, quo ducebat te per viam? Jer. 2. 17.

Quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam? Jer. 2. 18.

Arguet te malitia tua, & aversio tua increpabit te. Jer. 2. 19.

Scito, & vide, quia malum & amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum. Jer. 2. 19.

Vide, si via iniquitatis in me est, & deduc me in viâ æternâ. Ps. 138. 24.

MEDITATIO LXXVIII.

De Siccitatibus & Ariditatibus.

CRedo, quod video. Spero, quod tango. Amo, quod placet. Credo in lumine. Spero in affectu ſenſibili. Amo in conſolatione. Ecce vitam ſenſuum!

Credo, quod non video. Spero, quod non attingo. Amo, quod diſplicet. Credo in tenebris. Spero in derelictione. Amo in deſolatione. Ecce vitam ſpiritûs!

O mi Deus! quàm ſenſualis eſt devotio mea. Non te hactenus adoravi in ſpiritu. O felix ſtatus! ubi anima videt Deum ſine lumine. Ubi ſperat in Deo ſine fulcro. Ubi amat Deum ſine ſolatio ſenſibili. Hoc eſt videre Deum ſine ſpecie. Hoc eſt uniri Deo ſine medio. Hoc eſt pati divina. Hoc eſt non ampliùs habere ſubſiſtentiam propriam. Hoc eſt vitam agere ſupernaturalem. Hoc eſt regnum JEſu Chriſti.

Verba S. Scripturæ.

In tenebris ſtravi lectulum meum. Job. 17. 13.

Non eſt Regnum DEI eſca & potus, ſed juſtitia & pax, & gaudium in Spiritu ſancto. Rom. 14. 17.

Ipſi diſpergentur ad manducandum: ſi verò non fuerint ſaturati, murmurabunt. Pſal. 58. 16.

Expedit vobis, ut ego vadam, ſi enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos. Joan. 16. 7.

Spiritus eſt Deus, & eos, qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare. Joan. 4. 24.

MEDITATIO LXXIX.

De Silentio.

PUlchra ſanè ſapientia eſt, nôſſe bene loqui. Hanc nunquam addiſces, niſi ſcias tacere. Bene loqui, & multum loqui, nunquam rectè conveniunt. Omnes diſcunt loqui, pauci diſcunt tacere. Interim tamen prima ſcientiarum eſt, nôſſe tacere.

Exiguus ſubeſt ſenſus, ubi multa ſunt verba. Homo ſapiens parùm loquitur, quia timet, ne malè loquatur. Longo tempore ſibi ipſi loquitur, antequam loquatur aliis. Stultus ſemper garrit, quia nil cogitat, niſi de confabulatione. Totum ſe ad exteriora diffundit, quia non poteſt ſecum ipſo morari. Deus ab omni æternitate ſervavit ſilentium, neque unquam hominibus locutus eſt, niſi ut illos inſtrueret, & ſalvaret.

Obſerva ſilentium, ſicut Deus. Non loquere, niſi neceſſitas urgeat. Anima Deo plena non novit ampliùs homines alloqui. Qui multum loquitur cum hominibus, apertè monſtrat, quòd Deo ſit vacuus. Ut citò perfectus evadas, diſce tacere. Qui Dominus eſt

est linguæ suæ, Dominus est cupiditatum suarum. Solitudo & silentium sunt geminæ scholæ virtutum. In solitudine & silentio Deus se cognoscendum præbet, & loquitur nobis ad cor.

Silentium promovet orationem, & oratio promovet silentium. Postquam Moyses locutus est Deo, non potuit ultrà loqui hominibus. Qui solatia quærit extra se, modicum consolationis invenit intra se. Spiritus sanctus amat silentium. Vox ejus est instar suavis zephyri, quæ nequit audiri, si vel levis tumulus exoriatur. Nunquam desere silentium, nisi propter aliquid melius. Non potes bene loqui sine gratia. Poterísne autem sperare à Deo gratiam, si loquaris eo tempore, quo Deus tibi prohibet loqui? Quilibet loquitur de re, quam amat. Lingua est interpres cordis. Qui mundum amat, libenter loquitur de mundo. Qui Deum amat, libenter loquitur de Deo. Ex lingua cognoscitur homo. Et per linguam judicabitur homo.

Mi Deus! largire mihi amorem tuum, ut libenter de te loquar. Reple me spiritu tuo, ut amem silentium. Nunquam ero orationi deditus, quamdiu amabo confabulationes.

Loquere parùm. Loquere demissè. Loquere cum ratione. Loquere sine commotione. Non loquere, nisi ex necessitate. Non loquere unquam contra charitatem. Loquere cum sinceritate. Loquere cum simplicitate. Loquere sine affectatione. Loquere sine va-

nitate. Loquere, quando loquendum est. Sile, quando silendum est.

Verba S. Scripturæ.

Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Jac 3. 2

Si quis putat, se Religiosum esse, non refrænans linguam suam, hujus vana est Religio. Jac. 1. 26.

Ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ sum. Exod. 4. 10.

Ubi verba sunt plurima, ibi frequenter egestas. Prov. 14 23.

In ore fatuorum cor illorum, & in corde sapientum os illorum. Eccli. 21. 29.

Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. Jac. 1. 19.

MEDITATIO LXXX.

De Morbis.

DEUS morbos nobis immittit, vel ut inde educat suam gloriam, sicut cæco nato. Vel ut puniat nostra peccata, sicut Paralytico. Vel ut nos probet, sicut Jobo. Vel ut nos contineat in humilitate, sicut Paulo & Timotheo.

Nihil in morbo possum agere: sed possum pati. Multum possum agere, sed multum possim pati. Alii propter me laborant: ego

autem

autem patior pro aliis. Illi Deum honorant per ſuas actiones: ego illum honoro per meam patientiam.

Bene meritus ſum, quod patior. Multum promereor patiendo. Satisfacio pro præteritis. Congrego in futurum. Deus tollit à me ſanitatem, ut det mihi ſanctitatem. Ille mecum eſt, & ego patior cum illo. Ego porto Crucem ejus, & ille portat meam.

O quàm validus eſt ſpiritus meus, quando corpus meum infirmum eſt. O quàm infirmus eſt ſpiritus meus, quando corpus meum validum eſt. Morbus vitæ hujus tædium mihi affert, unde cor meum non niſi ad cælum aſpirat. Caro mea! tibi non minùs; quàm ſpiritui pœna eſt ſubeunda, & purgatorium tolerandum. Quòd ſi purgatorium non patiaris in terra, patieris illud in inferno: nihil enim coinquinatum intrabit in cælum. Non eſt alius locus, niſi terra, & infernus, in quo corpus purgari poſſit. Gaude anima mea! hoſtis tuus depreſſus jacet, jam non eſt eo in ſtatu, in quo tibi poſſit nocere.

O mi Deus! mereor equidem morbis obrui, quia toties ſanitate mea abuſus ſum. O quantum tibi ſum obligatus, quod mihi hunc morbum immiſeris! quia ſi mihi non parces in tempore, parces mihì in æternitate. Quia me caſtigas in vita, propitius mihi eris in morte. O quàm gaudeo, quòd corpus meum tibi conſecrare poſſim in victimam amoris, & patientiæ! Nullum eſt ſacrifici-

ficium magìs acceptabile oculis tuis, quàm ſacrificium amoris patientis, & patientiæ amantis.

Verba S. Scripturæ.

Infirmitas hæc non eſt ad mortem: ſed per gloriam Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam. Joan. 11. 4.

Ecce ſanus factus es: jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Joan. 5. 14.

Cùm infirmor, tunc potens ſum. 2. Cor. 12. 10.

Fili! in tua infirmitate, ne deſpicias teipſum, ſed ora Dominum, & ipſe curabit te. Eccli. 38. 9.

MEDITATIO LXXXI.

De Modeſtia.

EX vultu cognoſcitur homo. Anima cognoſcitur per corpus, quod eſt, veluti ſpeculum, animam repræſentans, in quo ipſa ad vivum exprimitur. Corpus leve indicat animam levem. Corpus modeſtum indicat animam modeſtam. Corpus non operatur niſi per animam, nec facit quidquam, niſi quod anima in ipſo operatur. Quando corpus eſt diſſolutum, judicatur, quòd mens quoque ſit diſſoluta. Quam ſpeciem habebit anima, quæ deformem adeò figuram tribuit corpori immodeſto?

Decens morum compositio & modestia exterior est signum animæ perfectæ. Animæ tendentis ad unionem cum Deo. Animæ perturbationibus liberæ. Deus habitat in mente tranquilla, quæ nunquam turbatur. Deus non moratur nisi in pace. Componit omnia per suam præsentiam. Imprimit suam modestiam animæ, quam amat. Quòd si illam non imprimat, rectè arguitur, quòd anima illi non promptè obediat.

Quando video corpus modestum, exclamo: Ecce hic est domus Dei! Ecce templum Domini; Omnia hîc sunt in pace, & bene ordinata. Modestia hujus animæ resplendet ex ejus corpore. Sanctitas interior per rectam morum compositionem se prodit exteriùs.

Modestia affectata non potest diu perdurare. Quando anima est bene composita, corpus semper est modestum. Gestus corporis parùm compositi oriuntur ex immoderatione animæ. Ejusmodi anima agitatur cupiditatibus. Cedit tentationibus. Succumbit suis sollicitudinibus. Permittit se abripi suis desideriis, minùs ordinatis. Qui Deum intra se habet, non quærit eum alibi extra se. Ferrum est in quiete, cùm magneti adhæret. Anima, quæ Deo intimè conjuncta est, quieta permanent absque commotione.

O mi Deus! Quàm tranquillus est spiritus tuus, & quàm meus est miserè perturbatus! Quàm gravis est spiritus tuus, quàm levis est meus! Quàm modestus est spiritus tuus, quàm effrænis est meus. Si tu esses Dominus

cordis mei, utique & corporis mei Dominus ſores. Si morum curam non habeam, dæmon facilè mentem expugnabit. Volo itaque ad modeſtiæ leges oculos, aures, linguam, manus, greſſus, & omnia exteriora mea componere, ut tibi legitimo Domino integrum conſervem cordis mei imperium.

Verba S. Scripturæ.

Ex viſu cognoſcitur vir, & ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus: amictus corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis enuntiant de illo. Eccli. 19. 26. & 27.

Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus. Phil. 4. 5.

Quæ deſurſum eſt, ſapientia pacifica eſt, & modeſta. Jac. 3. 17.

Qui abſconditus eſt cordis homo, in incorruptibilitate quieti, & modeſti ſpiritus, qui eſt in conſpectu Dei locuples. 1. Petr. 3. 4.

Obſecro vos per manſuetudinem & modeſtiam Chriſti. 2. Cor. 10. 1.

Induite vos, ſicut electi Dei, humilitatem, modeſtiam, patientiam. Col. 3. 12.

MEDITATIO LXXXII.

De inſpirationibus Divinis.

DEUS tacet, poſtquam fuit locutus. Contemnit, poſtquam fuit contemptus. Abſcondit ſe, poſtquam quæſivit. Recedit, poſt-

poſtquam vocavit. Punit, poſtquam diu ſuſtinuit.

Inſpiratio eſt vox Dei. Eſt ſpiritus oris ejus. Eſt radius ſapientiæ ejus. Eſt impreſſio amoris ejus. Eſt ſemen æternitatis. Eſt principium ſalutis. Eſt pretium ſanguinis JEſu. Eſt gratia, vitæ ejus diſpendio nobis comparata.

Suffocas vocem Dei, quando negligis ejus inſpirationem. Imitaris Herodem, qui decollari juſſit ſanctum Joannem. Imitaris Saulum, qui interfecit Sacerdotes. Imitaris Judæos, qui occiderunt JEſum, & Prophetas.

Reſiſtis Spiritui ſancto. Peccas ſine ignorantia. Peccas per obſtinationem. Peccas per malitiam. Defodis talenta Dei, abuteris ejus donis. Filium ejus pedibus conculcas. Spiritum ejus injuria afficis. Profanas pretioſum ejus ſanguinem. Veritatem captivam detines. Abrumpis filium, ac ſeriem gratiarum ejus. Salutem tuam periculo exponis.

Juſtitia Dei fulminat contra te. Auferetur à te talentum, tibi commiſſum. Aliò transferetur Regnum gratiæ. Deus nunquam tibi ultrà loquetur. Spiritus ſanctus nunquam te ampliùs afflabit. Verbum Dei nunquam tibi ultrà inſonabit. Conſcientia non te monebit. Spes non te animabit. Charitas te non inflammabit. Timor te non retinebit. Remedia tibi non proderunt ampliùs. Abuteris gratiis extraordinariis, quarum copiam deinceps non habebis.

O mi

O mi Deus! Confiteor, quòd ſim prodigus, quia diſſipavit omnia bona tua. Quòd ſim Herodes, quia obmuteſcere feci vocem tuam. Ah! nolo deinceps expectationem tuam fruſtrare. Nolo ultrà reſiſtere gratiæ tuæ. Nimis longo jam tempore pulſas portam cordis mei. Hodie adhuc omnem tibi aditum pandam.

Vis, ut deſeram hæc, aut illa peccata? Deſeram. Vis, ut mutem in melius vitam meam? Mutabo. Vis, ut renunciem luſui? Renunciabo. Vis, ut benignè alloquar inimicum meum? Benignè alloquar. Vis, ut frequentem Sacramenta? frequentabo. Vis, ut te unicè amem? Amabo te nunc, & in æternum? Amen.

Verba S. Scripturæ.

Væ! qui ſpernis: nónne & ipſe ſperneris? Iſ. 33. 1.

Vocavi, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis, & ego in interitu veſtro ridebo, & ſubſanabo, cùm vobis id, quod timebatis, advenerit. Prov. 1. 24. 25. & 26.

Ego vado, & quæritis me, & in peccato veſtro moriemini. Joan. 8. 21.

Spiritum nolite extinguere. 1. Theſſ. 5. 19.

Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra. Pſal. 94. 8.

MEDITATIO LXXXIII.

De Verbo DEI.

DEUS verbo ſuo mundum condidit. Non vult ſalvare mundum, niſi per Verbum ſuum. Redemit mundum per ſuum Verbum incarnatum. Nec ſalvabit mundum, niſi per verbum ſuum annuntiatum. Spiritus ſanctus productus eſt in mente Dei per interius Verbum ſuum. Spiritus ſanctus non producitur in corde hominis, niſi per Verbum exterius. Non es ovis JEſu Chriſti, niſi audias vocem ejus. Cor tuum non producet niſi ſpinas, ſi non recipiat ſemen Verbi Divini.

JESUS loquitur per os Concionatoris. Ille tonat in ejus lingua. Ille procedit indutus ſono vocis ejus, ſicut prodiit indutus corpore carnis noſtræ. Verbum Dei ſcriptum in libris, eſt Sacramentum ſalutis. Litera eſt ſpecies. JEſus eſt ſenſus. Verbum Incarnatum unit ſe verbo Creato, ut ſe inſinuet in cor noſtrum, atque illud ſanctificet. Quanta impietas, contemnere hoc Sacramentum! Quantum ſcelus, conculcare pedibus Filium Dei!

Heu! quoties tantam impietatem commiſi? Permitto Dei Verbum in terram decidere. Suffoco illud in corde meo. Veſcor hoc pane cæleſti, nec ullum inde fructum capio. Audio Verbum Divinum, neque illi mores meos conformo. Niſi verbum Dei me con-

vertat, certò me pervertet. Nisi me bonum reddat, malum me efficiet. Nisi vitam mihi tribuat, mortem mihi affert. Nisi me salvet, condemnabit me.

Verba S. Scripturæ.

Beatus venter, qui te portavit &c. quin imò beati, qui audiunt Verbum Dei, & custodiunt illud. Luc. 11. 28.

Qui declinant aures suas, ne audiat legem, oratio ejus est execrabilis. Prov. 28. 9.

Non in solo pane vivit homo, sed in omni Verbo, quod procedit de ore Dei. Matth. 4. 4.

Videte, ne recusetis loquentem. Hebr. 12. 25.

Semen est Verbum DEI. Luc. 8. 11.

MEDITATIO LXXXIV.

De felicitate status Religiosi.

REligio est paradisus, ubi semper Deus videtur. Ubi semper auditur ejus vox. Ubi semper vivitur in ejus præsentia. Ubi semper frui licet ejus familiari consortio. Ubi semper adimpletur ejus voluntas. Ubi semper ejus laudes concinnuntur. Ubi rarò caditur. Leviter peccatur. Promptè resurgitur. Merita indesinenter cumulantur. Mors est suavior. Salus securior.

O quàm grave est jugum mundi! O quàm molestæ sunt cruces ejus! O quàm amarus

est calix ejus! O quàm pungentes sunt spinæ ejus! O quàm pestifera sunt exempla. O quàm periculosa est ejus conversatio! O quàm tyrannicæ sunt leges ejus. O quàm perniciosæ sunt doctrinæ ejus! O quàm fœdæ sunt delectationes ejus! O quàm falsa, & imaginaria sunt bona ejus! O infelices Ægypti cepæ! Vos lacrimas elicitis ex oculis illorum, qui vos manducant. Plorare facitis illos, qui vos amant.

Verba S. Scripturæ.

Abstulit, sicut oves populum suum, & perduxit eos tanquam gregem in deserto. Psalm. 77. 52.

Non sunt recordati manûs ejus, die, quâ redemit eos de manu tribulantis. Ps. 77. 42.

Quàm dilecta Tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini. Psal. 83. 2. & 3.

Elegi abjectus esse in Domo DEI magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Psal. 83. 11.

Melior est dies una in atriis suis super millia. Ibid.

Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut Patrem, aut Matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter Nomen meum, centuplum accipiet & vitam æternam possidebit. Matth. 19. 29.

Amen dico vobis: Nemo est, qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut Patrem, aut Matrem, aut filios, aut agros propter me, & pro-

& propter Evangelium, qui non accipiat centies, tantum nunc in tempore hoc cum persecutionibus, & in sæculo futuro vitam æternam. Marc. 10. 29. & 30.

Amen dico vobis: Nemo est, qui reliquerit domum, aut parentes, aut fratres, propter Regnum DEI, & non accipiat multò plura in hoc tempore, & in sæculo venturo vitam æternam. Luc. 18. 29. & 30.

MEDITATIO LXXXV.

De Paupertate.

PAuper spiritu nulli rei creatæ adhæret. Pauper corde nihil desiderat. Contentus est necessariis. Quin & necessariis quandoque carere appetit. Pauperi contento parùm deest. Diviti avaro desunt plurima. Modicum sufficit necessitati, Nihil sufficit cupiditati.

O quàm dives est, qui Deum possidet! O quàm pauper est, qui Deum perdidit! Quàm beatus est, qui non quærit, nisi Deum! Quàm avarus est, qui Deo contentus non est! Deus replet cor vacuum. Universum hoc stabilitur in nihilo. Habebis omnia, si nihil desideres. Reperies omnia, si nihil habueris.

O mi Salvator! Quàm dives hæreditas est Paupertas! Quàm liberalis es in illos, qui omnia deseruêre? Potéstne quis nasci pauperior, quàm tu sis natus? Potéstne quis vi-

vere pauperior, quàm tu vixeris? Potéstne quis mori pauperior, quàm tu sis mortuus? Tu dives eras, & omnium egenus factus es. Ego pauper sum, & appeto ditari. Tu habes omnia, & voluisti tibi deesse omnia. Ego nihil habeo, & nolo mihi quidquam deesse. Iniquissimum sanè est, ut mancipium commodiùs vivat & pluribus abundet, quàm Dominus.

Verba S. Scripturæ.

Noli timere, fili mi! pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum. Tob. 4. 23.

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum cælorum. Matth. 5. 3.

Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo. Matth. 19. 21.

Nihil intulimus in hunc mundum: haud dubium, quòd nec auferre quid possumus. 1. Tim. 6. 7.

MEDITATIO LXXXVI.

De Castitate.

JESUS amat Virgines. JEsus elegit Matrem Virginem. JEsus tenerè amavit Discipulum Virginem. JEsum in cælo sequuntur Virgines.

R. P. Grasset, S. J.

Plus ſum quàm Angelus, ſi Virgo ſim. Deo conſimilis ſum, ſi Virgo ſim. Sponſa ſum JEſu Chriſti, ſi Virgo ſim. Aureolâ coronabor in cælo, ſi Virgo ſim. Potius præ aliis jus habeo reſurgendi à mortuis, ſi Virgo ſim.

Virginitas eſt pretioſus theſaurus, ſed conſervatu difficilis. Humilem te oportet eſſe, ut caſtus ſis. Deus humiliat ſuperbos. Labi eos permittit in peccata infamia. Spiritum punit per carnem. Opprobrio & confuſione operit illos, qui non habent ſanctam animi demiſſionem.

Non poteſt imperare, qui non novit obedire. Non poteſt eſſe Dominus, qui non didicit eſſe ſervus. Caro obedit ſpiritui obedienti. Caro ſe ſubmittit ſpiritui ſancto. Caro rebellat contra ſpiritum rebellem. Qui non obedit ſuo ſuperiori, perdit imperium, quod habet in ſuum ſubditum. Qui non in officio cohibet ſenſus ſuos, evadit mancipium corporis ſui. Vigila ſuper te ipſum, & ora. Fuge occaſiones, aut peribis.

O mi Deus! Quàm timeo ſuperbiam, quia demergit in cœnum luxuriæ. Quàm amo humilitatem, quia conſervat innocentiam. Humilis ero, ut ſim caſtus. Obediam ſuperioribus meis, ut & mihi obediant ſenſus mei, & appetitus ſubjiciatur rationi. Permitte me potiùs caſtiſſime JESU, præcipitari in infernum, quàm labi in obſcænitatem.

Verba

Verba S. Scripturæ.

Diſcipulus, quem diligebat JESUS. Joan. 13. 23.

Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, Virgines enim ſunt. Hi ſequuntur Agnum, quocunque ierit. Apoc. 14. 4.

Incorruptio facit eſſe proximum Deo. Sap. 6. 20.

In reſurrectione neque nubens, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in cælo. Matth. 22. 30.

Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis illorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis. Rom. 1. 24.

Propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ. Ibid. 26.

MEDITATIO LXXXVII.

De Obedientia.

QUàm beatus eſt homo obediens! Exequitur ſemper, quod Deus vult. Eſt quodammodo impeccabilis. Poſſidet omnes virtutes. Triumphat de omnibus vitiis.

Heù! quàm miſer eſt, ſubditus rebellis! Quàm impius eſt, & vitioſus. Multum laborat, & nihil lucratur. Tentatur fortiter, & tentationi ſuccumbit. Impugnat Dei voluntatem, & Deus oppugnat voluntatem ejus.

Avertit ſe à directione Bonitatis Divinæ, atque incidit in poteſtatem Juſtitiæ Divinæ. Non vult flecti, & Deus frangit ejus obſtinationem. Non vult obedire Deo, & Deus ſe opponit inclinationi ejus. Perdit imperium, quod habebat in corpus ſuum, quia recuſat Deo ſubjicere mentem ſuam. Non præſtatur illi obedientia à ſuis ſubditis, quia ipſe non obedit ſuperioribus ſuis.

O anima Chriſtiana, & religioſa! agnoſce, & adora JEſum in omnibus ſuis imaginibus, ſive ligneis, ſive teſtaceis, ſive aureis, ſive argenteis. Accipe cum reverentia mandata Dei, ſive ea intelligas ex Amos, ſive ex Iſaià, ſive ex ore Ruſtici, ſive ex ore Aulici. Obedi Superioribus tuis. Obedi in omnibus, ubi non eſt peccatum. Obedi ex toto corde. Obedi ex tota mente. Obedi libenter, ac celeriter. Obedi ſimpliciter. Obedi humiliter, fortiter, conſtanter, hilariter. Obedi denique cæco modo. Imitare JESUM obedientem uſque ad mortem crucis. Illius exemplo potiùs vitam perde, quàm obedientiam.

Verba S. Scripturæ.

Nunquid vult Dominus holocauſta & victimas, & non potiùs, ut obediatur ei? Melior eſt obedientia, quàm victimæ. 1. Reg. 15. 22.

Quaſi peccatum ariolandi eſt, repugnare, & quaſi ſcelus idolotatriæ, nolle acquieſcere. 1. Reg. 15. 23.

Vir obediens loquetur victorias. Prov. 21. 28.

Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Rom. 13. 2.

Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis: ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes. Hebr. 13. 17.

MEDITATIO LXXXVIII.

De disciplina Religiosa.

SI Religio est ædificium, Regulæ sunt fundamentum. Si Religio est corpus, Regulæ sunt nervi. Si Religio est arx, Regulæ sunt muri. Si Religio est locus sanctus, Regulæ sunt claustra.

Neutiquam es Religiosus, nisi regulas observes. Quas, si dimidia tantùm ex parte observes, Religiosus tantùm dimidiatus es. Quin potiùs nullo modo Religiosus es. Sicut non potest esse verus Christianus, qui non in omnibus est fidelis. Nisi regulas observas, nunquam perfectus eris. Sanguis in membra defluit per venas, & gratiæ Divinæ in nos derivantur per regulas. Quot violas regulas, tot perdis gratias. Non possunt canales hi sanctioris vitæ truncari, sine mortis periculo. Absque regulis religionis, nemo potest pertingere ad perspectionem. Observa leges naturæ, & eris perfectus homo. Observa leges gratiæ, & eris perfectus Christianus. Observa leges tui Ordinis, & eris perfectus Religiosus. Nulla regula tam est minu-

ta, quæ non habeat gratias ſalutis. Quæ non habeat omnem authoritatem Dei. Quæ non habeat directionem ſapientiæ Divinæ. Quæ non habeat aſſiſtentiam potentiæ Divinæ. Quæ non habeat ſigillum bonitatis Divinæ. Quæ non habeat charitatem ſanctitatis Divinæ.

Si regulas non obſerves, virtutes tuæ ſunt illuſiones. Pietatis tuæ exercitia à regula deflectentia ſunt magni paſſus à recta ſemita deerrantes. Quibus à perfectione recedis potiùs, quàm ut illi appropinques. Spiritus ſingularitatis eſt principium hæreſum. Eſt peſtis Religionis. Eſt inimicus humilitatis. Eſt ruina communitatis. Illius pietas eſt ſchiſmatica. Diviſio eſt hæretica. Senſus illius ſunt arrogantes. Ejus exempla ſunt plena offenſionis.

Qui non vivit ex præſcripto Ordinis, malè tractatur à Principe Ordinis. Qui ſe à communitate ſejungit, perdit gratias communitatis. Si non ſis membrum corporis, neque partem habebis de vita corporis. Membra uniuntur per regulas. Si abrumpas hæc gratiarum vincula, inter mortuos es reputandus.

Niſi vitam inſtituas juxta leges Ordinis, nunquam vives in pace, regulæ tuæ ſunt munimenta & propugnacula exteriora, quæ te contegant, & defendant. Hæc propugnacula ſi deſideras, periculum incurris, te perdendi. Sine gratia vocationis nemo poteſt vivere in Religione. Hæc autem gratia eſt affixa regulis, per quas, veluti per canales ad nos

deriva-

derivatur. Quisquis tollit hoc commercium, accersit sibi infinitatem malorum.

Regula, quam violas, videtur modica: sed damnum inde emergens, immensum est. Leves ejusmodi infidelitates disponunt te ad graviores. Qui in modico infidelis est, nec in majori fidelis erit. Quomodo adimplebis res difficiles, si faciliores non exequaris? Labes, quantumvis modica, rumpit clausuram Religiosam. Effrænatio hæc modica producet majorem. Caussa erit, ut nascantur gravissimæ tentationes. Ingressum aperiet dæmoni. Vulpes parvulæ demoliuntur vineam.

Regula hæc, iniquis, est minima. Ergo facilior est observatu. Iniquè ergo agis, si illam violas. Stetit illa multis lacrymis Fundatori, qui eam legem sancivit. Magni æstimanda est gratia, quæ carò stetit illi, qui eam largitur. Parva sæpè scintilla contempta, magnum excitavit incendium. Per ruinam modicam arx expugnatur. Parva sæpè rima causa est, ut maxima quæque navigia submergantur.

In Dei obsequio omnia sunt magna. Dei voluntas pondus addit omnibus, quæ præcipit. Deus has regulas dictavit. Deus has leges tibi præscribit. Omnes sunt munitæ authoritate Divina. Deus omnia dirigit ad suum finem. Omnes creaturas inclinat ad centrum illis præfixum. Inanimatas per innatum pondus, aut levitatem. Rationabiles per suas leges. Si custodias Ordinem, custodiet te. Si perturbes, perturbabit te. Si destruas, destruet te.

O Anima Christiana, & Religiosa! Ne turbes pacem Fratrum tuorum. Ne suffodias fundamenta Ordinis tui. Ne destruas fulcimenta Religionis tuæ. Ne perdas gratiam Vocationis tuæ. Ne discerpas viscera matris tuæ. Ne affligas cor Patris tui. Spiritus ejus est in regulis ejus, quas si violes, ipsum offendis. Quas si negligas, ipsum contemnis. Æstimas illum, ut imprudentem, quia rejicis ejus gubernationem. Videris illum habere, ut tyrannum, quasi imperet tibi, quæ observari non possint.

An ideo Religioni te mancipâsti, ut viveres sine Ordine & sine Religione? Per leges conservantur status. Regulæ tuentur communitatem. Violare Regulam per contemptum, est peccatum consequentiæ. Potéstne quis sæpè, ac liberè regulam transgredi quin eam contemnat? Potéstne quis ardenter desiderare perfectionem, qui non vult evitare etiam minimam imperfectionem?

O mi Deus! Quantopere reus sum, qui in terra Sanctorum iniqua gessi? circumfero habitum Religiosi, sed spiritum Religionis non habeo. Versor in loco sacro, cum corde, & spiritu profano. Sum pestis mei Ordinis. Sum opprobrium meæ Religionis. Offendiculo sum Fratribus meis. Afflictió sum matris meæ. Gravis sum Fundatori meo. Transfuga sum legum ejus. Homo sum sine disciplina. Religiosus sum sine Religione.

O bone Pastor! Insequere me Reduc ovem tuam errabundam ad ovile tuum. Si lupus eam seorsim vagantem reperiat, heu! devora-

devorabit eam. Ah! volo deinceps sequi te. Volo obedire legibus tuis Volo satisfacere omnibus obligationibus meis. Volo deinceps in Ordine, & secundùm Ordinem vivere. Habere regulas, & eas non observare, est apparere Religiosum, & non esse.

Verba S. Scripturæ.

Custodi legem, atque consilium, & erit vita animæ tuæ. Prov. 3. 21. & 22.

Si diligitis me, mandata mea servate. Joan. 14. 15.

Qui fidelis est in minimo, & in majori fidelis est, & qui in modico iniquus est, & in majori iniquus est. Luc. 16. 10.

Qui spernit modica, paulatim decidet. Eccl. 19. 1.

Afflixerunt spiritum Sancti ejus. If. 63. 10.

Omnibus odiosus, ut refuga legum, & execrabilis, ut Patriæ, & civium hostis. 2. Machab. 5. 8.

Magna sunt Judicia tua Domine, & inenarrabilia verba tua: Propter hoc indisciplinatæ animæ erraverunt. Sap. 17. 1.

TERTIA PARS MEDITATIONUM.

De præcipuis Myſteriis, Vitæ ac Mortis Filii DEI & ſanctiſſimæ Matris ejus.

MEDITATIO LXXXIX.

De Imitatione JESU Chriſt.

QUod JESUS dixit oportet credere. Ergo pariter, quod JEſus fecit, oportet facere. Doctrina Chriſti eſt Regula Fidei noſtræ. Exemplum Chriſti eſt Regula vitæ noſtræ. Infallibilis eſt in verbis ſuis. Impeccabilis eſt in actionibus ſuis. Hæreticus ſum intellectu, niſi credam, quæ ipſe dixit. Hæreticus ſum voluntate, niſi faciam, quæ ipſe fecit.

Perfectus ero, ſi Chriſto evadam ſimilis, Deo in amoribus ero, ſi Chriſto evadam ſimilis.

milis. Amabo Deum, si Christo me similem efficiam. Salvus ero, si Christo evadam similis.

O quantus honor, esse similem Deo. Vivere sicut Deus. Loqui sicut Deus. Agere, pati, & mori, sicut Deus!

Inspice vitam tuam & quære ex te ipso: Itáne locutus est JEsus? Itáne operatus est JEsus? Itáne passus est JEsus?

Fratres mei! induimini Dominum nostrum JEsum Christum, qui sit, veluti habitus, corpus & animam vestiens.

Verba S. Scripturæ.

Inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est. Exod. 25. 40.

Quos prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui. Rom. 8. 29.

Qui dicit, se in ipso manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare. 1. Joan. 2. 6.

Exemplum dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Joan. 13. 15.

MEDITATIO XC.

De virtutibus JESU, comparatis cum vitiis nostris.

JESUS pauper erat, & ego sum dives. JEsus humilis erat, & ego sum superbus. JEsus mitis erat, & ego sum iracundus. JE-

sus patiens erat, & ego adversi nihil volo sustinere.

JEsus veniam dedit inimicis, & ego ultionem spiro. JEsus obedivit, & ego imperare volo. JEsus fuit odio habitus, & ego ab omnibus amari desidero. JEsus fuit ludibrio habitus, & ego ab omnibus appeto honorari. JEsus fuit absconditus, & ego amo publicos plausus, & acclamationes. JEsus cælum conscendit per dolores, & ego cælum consequi volo per delicias. An æquum est, ut mancipium mitiùs habeatur, quàm Filius? Reus, quàm Innocens?

O quàm justè timeo, ne sim inter reprobos, cùm adeò sim dissimilis capiti prædestinatorum.

Verba S. Scripturæ.

Nunquid est cor tuum rectum sicut cor meum. 4. Reg. 10. 15.

Non est Discipulus super Magistrum, nec servus super Dominum suum. Matth. 10. 24.

Factus est nobis sapientia à Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio. 1. Cor. 1. 30.

Ego sum via, veritas, & vita. Joan. 14. 6.

MEDITATIO. XCI.

De Nativitate JESU Christi.

NUnquam Deum se majorem exhibuit, quàm, cùm factus est parvus. Nunquam potentior apparuit, quàm cùm factus est infirmus. Nunquam amabilior visus est, quàm cùm se reddidit miserabilem.

Quando Deum video factum esse Filium hominis, agnosco, quòd homo possit evadere filius Dei. Quando Deum video abjectum in stabulo, agnosco, quòd necessarium sit, se humiliare. Quando Deum video in paleis, agnosco, quòd omnis mundi magnificentia non sit, nisi fimus, & lutum. Quando Deum video plorantem, agnosco necessitatem mihi incumbere patiendi.

Omnis Sapientia Dei conclusa est in hoc Parvulo. Omnes ejus actiones sunt regulæ sapientiæ. Omnes ejus vagitus sunt lectiones sapientiæ. Omnes ejus lacrymæ sunt declarationes sapientiæ. Stabulum ejus est schola sapientiæ. Præsepe ejus est thronus sapientiæ. Silentium ejus est vox sapientiæ. Somnus ejus est extasis sapientiæ.

Aut JEsus errat, aut mundus fallitur. An huic, an illi fidem tribues? Nativitas JESU est reprobatio mundi. JEsus damnavit omnia, quæ in Nativitate sua rejecit. Nisi similis evadam huic Parvulo, nunquam salvus ero.

Verba S. Scripturæ.

Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator mundi. Luc. 2. 10.

Pannis eum involvit, & reclinavit eum in præsepio. Luc. 2. 7.

Puer natus est nobis, & Filius datus est nobis. Is. 9. 6.

Transeamus usque Bethleem, & videamus hoc Verbum, quod factum est. Luc. 2. 15.

Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis. Joan. 1. 14.

MEDITATIO XCII.

Affectus teneri erga Puerum JESUM.

O DEUS Sapientiæ! Qui elegisti stabulum in palatium Majestatis tuæ. Qui elegisti præsepe in thronum gloriæ tuæ. Ubi me abscondam in tua præsentia? An non meritò erubescat superbus, si videat Deum in fimeto? Quanta est insolentia, terræ vermiculum etiamnum velle in altum extolli? An tu mi JEsu erras? An fallitur mundus? Sapientia Dei num potest decipi?

O Deus bonitatis! quantùm abscondisti Majestatem tuam! At quantùm fecisti elucescere misericordiam tuam! Nunquam magis te reddidisti amabilem, quàm cùm te exhibuisti miserabilem. Nunquam clariùs resplenduit bonitas tua, quàm cùm annihilata videbatur

batur Majeſtas tua. Timebam te ante hac, ut Deum: jam verò cogor te amare, ut hominem. Quis enim poſſet timere hunc parvulum? Quem non amore ſuccendant calentes JEſuli lacrymæ? Ploratus tui ad compaſſionem me movent, & non timore concutiunt. Ad ſpem me animant, & non ad diffidentiam impellunt. Si potuiſti te facere filium hominis, an non me potes efficere filium Dei? Si potuiſti, te reddere miſerabilem, an non poteris me beatum efficere?

O Dive Parvule! O amor omnium ſæculorum! O deſiderium Paradiſi! quando te audio gementem ac ſuſpirantem, non poſſum non tui amore colliqueſcere. Reſtiti, heu! nimis diu potentiæ tuæ. At nunc cedo infirmitati tuæ. Contempſi Majeſtatem tuam; At nunc me ſubjicio humilitati tuæ. Oppugnavi te, ut Deum; Jam verò ut homo triumphas de corde meo. Oppoſui me furori tuo? jam verò non poſſum reſiſtere amori tuo.

O Rex maxime, & potentiſſime! quàm attonitum me reddit Majeſtas tua? Sed in quantam admirationem me rapit humilitas tua? Quàm admirabilis es, ut Deus? Sed quàm amabilis es, ut homo? Majori ſtupore abripior, cùm video te humiliatum, quàm cùm te video exaltatum. Cùm audio te plorantem, quàm cùm te audio tonantem, & fulminantem. Unica ſolùm à te profuſa lacrymula majus in corde meo accendit amoris incendium, quàm flammæ omnes montis Sinai. Poſtquam aſſumpſiſti mala mea, ſpero quòd largiturus mihi ſis bona tua. Poſtquam deſcendiſt in

terram,

terram, ſpero quòd me ſis ſublevaturus in cælum.

O chariſſime Fili Mariæ! Veni intra brachia mea. Requieſce ſupra cor meum. Irriga me lacrymis tuis Inflamma me amore tuo. Benedic mihi parvulis manibus tuis. Oſculare me ſuaviſſimis labellis tuis. Obliviſcor jam mei, quia tu videris oblitus tui. Si debitam tibi reverentiam non exhibeam, adſcribes id amori tuo Redde te minùs amabilem, ſi non vis tenerè amari. Quando te videbo ſedentem in throno, ſacro horrore conſternabor. Sed quando te contemplabor in præſepi vagientem, amabo te ex toto corde meo. Appropinquabo tibi ſine ullo timore. Amabo te ſine diffidentia. Serviam tibi ſine tædio. Totum me tibi donabo ſine exceptione. Benedicam te ſine remiſſione. Laudabo te ſine intermiſſione. Gratias tibi agam nunc & in æternum, Amen.

MEDITATIO XCIII.

De Paupertate JESU Chriſti.

JESUS factus eſt pauper, ut nos ditaret. JEſus natus eſt nudus, ut nos veſtiret. JEſus deſcendit in fimetum, ut nos ſublevaret in thronum. JEſus contempſit divitias, ut nos doceret eas contemnere.

Comparate, O mundani! domus veſtras cum ejus ſtabulo. Lectos veſtros cum ejus præſepi. Plumas veſtras cum ejus ſtramine.

Veſtes veſtras cum laceris ejus panniculis, Luxum veſtrum cum ejus nuditate.

JEſus pauper eſt, & vos abundatis divitiis. JEſus moratur in ſtabulo, & vos habitatis in palatiis. JEſus recumbit in paleis, & vos ſtertitis in plumis. JEſus nudus alget præ frigore, & vos commodè, ac ſplendidè eſtis veſtiti. JEſus caret omnibus commodis, & vobis affluunt omnia.

O Divine Infans! quantùm Nativitas tua me recreat? ſed quantùm paupertas tua me affligit? quantùm Infantia tua me ſolatur? ſed quantùm præſepe tuum terrorem mihi incutit? Amabo pauperes, quoniam non poſſum amare paupertatem. Solabor pauperes, ut ſublevem neceſſitatem tuam. Veſtiam pauperes, ut contegam nuditatem tuam.

Non ſalvabor, niſi tibi evadam ſimilis. Oportet ut egenus ſim, ſicut tu, aut ut tu locuples ſis, ſicut ego. Ego recuſo egenus eſſe, ſicut tu. Oportet ergo, ut te locupletem efficiam, ſicut ſum ego.

Tibi bona præſtantur, quæ pauperibus exhibentur. Tibi ergo auxilium præſtabo in perſonâ pauperum. Te nutriam in perſona pauperum. Te veſtiam, & hoſpitio excipiam in perſona pauperum. O quàm felicem me reputo, quod reddere tibi valeam, quæ mihi donâſti. Quòd poſſim neceſſitati tuæ ſuccurrere, quòd poſſim te veſtire, nutrire, & hoſpitio excipere!

Verba S. Scripturæ.

Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet. Matth. 8. 20.

In propria venit, & sui eum non receperunt. Joan. 1. 11.

Amen dico vobis: Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. 25. 40.

Egenus factus est, cùm esset dives, ut illius inopiâ vos divites essetis. 2. Cor. 8. 9.

MEDITATIO XCIV.

De Humilitate Pueri JESU.

DEUS se annihilavit, uniendo se nihilo. Humiliavit omnem Magnitudinem suam. Tam parvum se effecit, quàm magnus erat. Tantùm se demisit, quantùm erat exaltatus. Humiliatio ejus est infinita. Humiliatio ejus est substantialis. Humiliatio ejus erit æterna. Quamdiu conservabit humanitatem suam, tamdiu conservabit signa humilitatis suæ.

Cur homo factus est? Cur passibilem, & mortalem naturam assumpsit? Cur carnem nostram induit? Cur infans jacuit in præsepio? Cur natus est ex muliere? Cur incoluit stabulum? Ut domaret nostram superbiam. Ut doceret nos humilitatem. Ut corda nostra sibi devinciret Ut similior nobis evaderet.

O Divine infans! Quàm magnus es in cælo, ſed quàm parvus es ſuper terram? Quàm honoratus es ab Angelis, ſed quàm contemptus ab hominibus? O quàm reverenter te adoro in formâ Dei! O quàm ardenter te amo in formâ hominis! Admiratione digniſſimum eſt, videre Deum ſe ad ima demittere. Sed multò magìs eſt admirandum, videre hominem ſe in altum extollere! & quantùm confundor ob ſuperbiam meam, videndo Deum mei amore humiliatum?

Verba S. Scripturæ.

Quicunque humiliaverit ſe ſicut parvulus iſte, hic eſt major in Regno cælorum. Matth. 18. 4.

Ecce Deus, Salvator meus, fiducialiter agam, & non timebo. iſ. 12. 2.

Semetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens. Phil. 2. 7.

MEDITATIO XCV.

De Humilitate DEI in Myſterio Incarnationis.

VErbum erat DEUS, & factum eſt homo. Verbum erat beatum, & factum eſt miſerabile. Verbum erat ſanctum, & induit formam peccatoris.

Factum eſt homo, ut nobis communicaret Divinitatem ſuam. Factum eſt miſerabile,

ut nobis communicaret felicitatem ſuam. Peccatoris formam induit, ut nobis communicaret ſanctitatem ſuam.

O JEſu annihilate ſub forma hominis! O JEſu annihilate ſub formâ peccatoris! O JEſu annihilate ſub forma creaturæ miſerabilis! O Maxime & Minime! O Prime, & noviſſime! O ſublimiſſime, & abjectiſſime!

An ſuperbies deinceps anima mea, cùm Deum tuum videas annihilatum? An ſanctus videri deſiderabis, cùm Deum tuum videas ſub ſchemate peccatoris? An vivere cupies in deliciis, cùm Deum tuum videas afflictum miſeriis?

O nihilum! An non tandem te annihilabis? An nunquam te in abyſſum nihili tui dejicies? Quid bonis unquam feciſti? Quid mali non perpetrâſti? Unde veniſti? Aut quô eundem tibi erit? Intoleranda ſuperbia eſt, quòd homo audeat ſe extollere, cùm videat Deum ſuum humiliatum.

Verba S. Scripturæ.

Verbum caro factum eſt. Joan. 1. 14.

Exinanivit ſemetipſum, formam ſervi accipiens. Phil. 2. 7.

Deus Filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati. Rom. 8. 4.

Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficiamus Juſtitia Dei in ipſo. 2. Cor. 5. 21.

MEDITATIO XCVI.

De SS. Nomine JESU.

JESUS est Nomen Majestatis. JESUS est Nomen suavitatis. JESUS est Nomen potestatis. Est Nomen Majestatis, quòd significat Deum hominum. Est Nomen suavitatis, quod significat Patrem hominum. Est Nomen potestatis, quod significat Salvatorem hominum. Majestas ejus facit, ut adoretur in cœlo. Suavitas ejus facit, ut ametur in terrâ. Potestas ejus facit, ut timeatur ab inferis.

Quando pronuntio Nomen JEsu, repræsento mihi Maximum inter Reges. Amantissimum inter Patres. Fortissimum inter Bellatores. Homillimum inter homines. Fidelissimum inter amicos. Mitissimum inter Dominos. Potentissimum ad rapienda omnium corda. Amantissimum inter omnes sponsos.

Quando JEsum pronuntio, tristitia mea dissipatur. Animus meus erigitur. Cor meum dilatatur. Spiritus meus evigilat. Passiones meæ quiescunt. Desideria mea sedantur Anima mea redundat gaudio. Omnes inimici mei aguntur in fugam.

Si JEsus est salvator meus, an non potest me salvare? An non debet me salvare? Onus sibi imposuit procurandæ salutis meæ. Sponte acceptavit eam curam, voluitque hoc unum esse suum negotium. Nulli labori par-

cet, ut ſalutem mihi procuret. Quin & vitam ſuam mei amore ponet. Quid formidare deinceps poſſim, cùm habeam Salvatorem? Quid ſperare non debeam, cùm tantum habeam Salvatorem?

O JEſu! Pater pauperum. Conſolator afflictorum. Anima mea coram te eſt ſine voce. Cor meum dicit tibi, quòd tu ſis omne bonum ſuum. Sis mihi JEſus in vitâ. Sis mihi JEſus in morte. Si quid commiſi, unde damnari poſſim, tu non perdidiſti, unde me ſalvare poſſis.

O JEſu! Pone te ut ſignaculum ſuper cor meum. Ut ſignaculum ſuper os meum? Ut ſignaculum ſuper brachium meum. Ut non cogitem, niſi de te. Ut non loquar niſi de te. Ut non laborem, niſi propter te.

O JEſu! Adoro te, ut Nomen Majeſtatis. Amo te, ut Nomen ſuavitatis. Invoco te, ut Nomen Poteſtatis. Opto ſanguinem profundere, ut ſalvus fiam; quoniam tu ſanguinem tuum dediſti, ut Salvator eſſes. Deſidero vulneribus ſauciari, ſicut tu, ut tecum fiam Salvator hominum.

Verba S. Scripturæ.

Tu autem in nobis es Domine, & Nomen ſanctum tuum invocatum eſt ſuper nos, ne derelinquas nos. Jer. 14. 9.

Omnis, qui invocaverit Nomen Domini, ſalvus erit. Joël. 2. 32.

Nec enim aliud Nomen eſt ſub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri. Act. 4. 12.

MEDITATIO XCVII.

De Regno DEI.

DEUS regnat in corde hominum. Homo regnat in corde Dei. DEus regnat, cùm homo voluntatem ejus exequitur. Homo regnat, cùm Deus voluntatem illius exequitur. Deus adimplet voluntatem hominis, cùm homo adimplet voluntatem Dei. DEus obedit homini, cùm homo obedit Deo. Deus regnat per ſuam Providentiam, & homo per ſuam obedientiam. Servire Deo, regnare eſt. Obedire Deo, imperare eſt.

O mi Deus! quàm juſtum eſt, ut tibi ſubjectus ſim! Sed an juſtum eſt, ut tu mihi ſis ſubditus? Quàm æquum eſt, ut ego adimpleam voluntatem tuam! Sed an æquum eſt, ut tu meam adimpleas? Interim tamen tu promittis exſequi voluntatem eorum, qui executuri ſunt tuam.

Ah mi Deus! Tu ſemper eris Theſaurus meus, quoniam cor meum æſtimas ut Theſaurum tuum. O benignum Dominum, qui exequitur voluntatem ſervorum ſuorum! O impium ſervum, qui excuſat exequi voluntatem Domini tam benigni!

Verba S. Scripturæ.

Voluntatem timentium ſe faciet. Pſal. 144. 19.

Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. Luc. 22. 27.

Adveniat Regnum tuum. Matth. 6. 10.

Regnum Dei intra vos est. Luc. 17. 21.

MEDITATIO. XCVIII.

De Regno JEsu Christi, & sathanæ.

NOn potest quis nulli subesse Domino. Nec potest quis servire, nisi uni Domino. Oportet servire aut Christo, aut sathanæ. Illius servus es, cujus voluntatem exequeris.

JEsus est clementior omnibus Regibus. Sathan est crudelior omnibus tyrannis. JEsus nos amat, quantùm potest amare. Sathan nos odit, quantùm potest odisse. JESUS regnat in pace. Sathan regnat in perturpatione. JEsus nos deducit ad cœlum. Sathan nos præcipitat in infernum.

JEsus nequaquam Rex noster est, nisi mandata ejus custodiamus. JEsus regnat in mentibus nostris per fidem. Regnat in cordibus nostris per charitatem. Regnat in desideriis nostris per spem. Regnat in anima nostra per pacem. Regnat in corpore nostro per patientiam. Gubernat nos per suam sapientiam. Sustentat nos per suam potentiam. Sanctificat nos per suum amorem. Sapientia ejus nos gubernat, cùm renuntiamus propriis judiciis nostris. Patientia ejus nos sustentat, cùm renuntiamus propriis viribus nostris.

Amor

Amor ejus non sanctificat, cùm renuntiamus propriis desideriis nostris.

Agere, quod Deus vult. Pati, quod ipse immittit. Conservare se in ejus gratia. Possidere cor suum in pace. Nihil operari ex indomita cupiditate. Obedire Divinæ inspirationi. Promptum esse ad facienda omnia. Paratum esse ad omittenda omnia. Non desiderare prospera. Non formidare adversa. Divinæ dispositione semper acquiescere. Vivere & mori in cruce. Hoc est Regnum JEsu Christi. In hoc fundatur ejus imperium.

O JESU Rex meus! Ecce ego servus tuus, & filius Ancillæ tuæ. Heu! quomodo ingredi potes cor meum, è quo toties te ejeci? Multo jam tempore non vivis intra me, quia perdidi gratiam tuam. Multo jam tempore non regnas in me, quia pacem violavi. Revertere Domine in Regnum tuum, neque deinceps unquam ex illo recede. Defende te intra me contra hostes Coronæ tuæ. Sathan ait, sibi jus dominii in me competere. Mundus affirmat, suis me mancipatum esse obsequiis. Superbia asserit, suo me imperio esse subjectum. Sensualitas sibi me servum vendicat. Et ego profiteor, me omni jure esse servum JEsu Christi. Me redemptum esse JEsu sanguine. Me alium Regem non habere, quàm JEsum. Mori me exoptare in obsequio JEsu. Nullâ vi me separandum à JEsu.

Verba S. Scripturæ.

Ecce Rex vester. Joan 19. v. 4.

Regnum meum non est de hoc mundo. Joan. 18. 3.

Dominare nostri tu, & filius tuus. Judic. 8. 22.

Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore. Rom. 6. 12.

Rex Regum, & Dominus Dominantium Apoc. 19. 16.

MEDITATIO XCIX.

De Passione JEsu Christi in genere.

JEsus est verus Filius Dei. Est sapientissimus omnium hominum. Est maximus omnium Regum. Est optimus omnium amicorum. Qui neminem læsit unquam. Qui copiosa toti mundo beneficia contulit. Et totus mundus mala illi retribuit. Sicut passus est pro omnibus hominibus, ita passus est ab omnibus hominibus. Omnis sexûs & conditionis homines conspirârunt in Passionem ejus: Judæi, Gentiles, Sacerdotes & Reges. Omnes allaborârunt, ut ageretur in crucem.

JEsus passus est omnis generis pœnas in corpore, & anima. In mente, & in corde. In memoria, & in imaginatione. In honore & bonis. In cognatis & amicis. In omnibus sensibus & membris suis. JEsus est vir dolorum, & ego volo esse vir deliciarum?

JEsus est victima omnium temporum. Est Victima omnium hominum. Est victima omnium justorum. Est victima omnium impiorum. Sicut in se suscepit omnia nostra crimina expianda, ita effectus fuit omnibus suppliciis, nostræ malitiæ debitis. Sicut nullus est, quem non amavit, ita nullus est, pro quo non sit passus. Præcipuè tamen pro me passus est. Et ego nihil patiar propter ipsum?

Quis illum compulit, ut mortem subiret pro ingratis? Qua de causa miserias nostras induit? Mortem subiit, ut vitam nobis redderet. Miserias nostras induit, ut nos beatos efficeret. Semetipsum tradidit inimicis suis. A sententiâ Pilati non provocavit ad aliud sublimius tribunal. Nullum patravit miraculum, quo se liberaret à cruce. Totâ vitâ suâ fuit crucifixus. Cor ejus fuit crucifixum ante corpus. Moriebatur præ desiderio moriendi. Maxima ipsi crux erat, non posse atrociora pati.

O dulcissime JESU! utique adimpletum est desiderium tuum. Saturatus enim es opprobriis. Non potes plura pati, quàm passus sis. Non potes mortem crudeliorem subire, quàm subieris. Et ego vivere cupiam in deliciis?

Ubi inveniam exempla tantæ bonitatis tuæ? Ubi inveniam exempla tantæ malitiæ meæ? Ubi inveniam exempla tanti amoris tui? Ubi inveniam exempla tantæ ingratitudinis meæ? Quanta in sacratissima Passione tua luculenter apparent.

Verba

Verba S. Scripturæ.

In ipso inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter. Col. 2. 9.

Unxit eum Deus Spiritu Sancto, & virtute; qui pertransiit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo, quoniam Deus erat cum illo. Act. 10. 38.

Pro omnibus mortuus est. 2. Cor. 5. 15.

Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Gal. 2. 20.

Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor, usque dum perficiatur? Luc. 12. 15.

A plantâ pedis usque ad verticem non est in eo sanitas. Is. 1. 6.

MEDITATIO C.

De Tristitia Filii Dei in Horto Olivarum.

JEsus tristis est usque ad mortem, ex consideratione suorum tormentorum. Ex consideratione meorum peccatorum. Ex consideratione ingratitudinis meæ. Ex consideratione miseriarum mearum.

Timore concuti voluit, palàm facturus, quòd sit homo: sicut ego. Quòd sit infirmus, sicut ego. Quòd exspoliatus sit fortitudine suâ. Quòd induerit infirmitatem meam. Quòd mihi communicaverit generositatem suam. Quòd assumpserit timiditatem meam.

Con-

Contremiscit, ut me securum efficiat. Timet, ut me ad ardua animosum reddat. Cadit, ut me sublevet.

Voluptas, & dolor producunt omnia peccata hominum. Desiderium, & timor accendunt omnes cupiditates hominum. JEsus vicit geminos hos inimicos, nobísque robur addidit, ad illos expugnandos. Abstinuit ab omnibus voluptatibus. Sustinnit omnes dolores. Renuntiavit omnibus desideriis. Superavit omues terrores. Sudavit sanguinem, & aquam. Certavit usque ad mortem.

O Divine Salvator! Quàm crudele fuit primum certamen tuum? Quàm sanguinolenta fuit prima pugna tua? Heu! ego eram in corde tuo, ut te affligerem. Ego eram in brachiis Judæorum, ut cruciarem te. Peccata mea erant in mundo ante me, quia illa te cruciârunt, & crucifixerunt.

O Divine Magister! Quàm eximia nobis præbes exempla! Sed nemo te vult imitari. Quàm doctas nobis prælegis lectiones! sed nemo eas cupit addiscere. Tu primus ad pugnam progrederis: sed nemo tuis insistit vestigiis. Discipuli tui dereliquerunt te. Dormiunt, dum tu agonizas. Affligunt te, cùm deberent te solari. Perfidè produnt te, cùm deberent tibi auxilium ferre.

Heu! quanta confusio operit faciem meam! Succumbo tentationi unius hominis, cùm sustenter à fortitudine Dei. Et JEsus superat omnes tentationes dæmonum, cùm induerit infirmitates omnium hominum.

O Sanguis pretiose! Qui irrigas terram ingratam. Irriga, & inflamma cor meum. O Redemptor mi! Imitabor deinceps generositatem tuam. Resistam usque ad sanguinem. Triumphabo de carne. Certabo fortiter usque ad mortem. Libens bibam calicem tuum, quia tu meum exhaurire dignatus es.

Verba S. Scripturæ.

Cœpit pavere, & tædere. Marc. 14. 33.

Ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem. Sustinete hîc & vigilate. Marc. 14. 34.

Factus est sudor ejus, sicut gutta sanguinis decurrentis in terram. Luc. 22. 44.

Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit. Is. 53. 4.

MEDITATIO CI.

De Oratione Christi in horto.

JESUS recedit à Discipulis suis, & lethali absorptus tristitiâ, preces ad Patrem fundit. Orat cum reverentiâ. Orat cum perseverantiâ. Orat cum resignatione. Orat, & non exauditur. Docet nos orare. Docet nos plenam in paternum Dei beneplacitum resignationem.

Bonus JEsus non voluit exaudiri, ut nos exaudiremur. Non obtinuit pro se gratiam; quam tamen pro me obtinuit.

Si

Si affligaris, ad preces recurre. Ora seorsim. Ora cum humilitate. Ora cum constantiâ. Ora cum resignatione. Ora cum conformitate. Nec unquam ab oratione remitte. Dic Deo inter omnes timores tuos: Pater sanctissime, & amantissime! Ecce calicem confusionis, quem inimici mei bibendum mihi offerunt. Tolle illum à me, si ita tibi placeat. Verum tamen fiat voluntas tua, non mea!

Pater misericordiarum! Ecce calicem doloris perquam amarum! Transeat is ab ore meo, si ita tibi placeat. Verum tamen fiat voluntas tua, non mea.

Pater pauperum! Ecce bona mea, quia violenter mihi eripiuntur! Ecce calicem egestatis, qui mihi hauriendus offertur! An non possum ab eo liber evadere? Fiat voluntas tua non mea.

Pari ratione percurre cætera, quæ tibi molesta possent accidere. Repræsenta ea suaviter Deo, tui amantissimo, & te penitùs cum sanctissima ejus Voluntate conforma.

Verba S. Scripturæ.

Progressus pussillùm, procidit in faciem suam, orans. Matth. 26. 39.

Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste: veruntamen non sicut ego volo sed sicut tu. Matth. 26. 39.

Pater mi, si non potest hic calix transire, ni bibam illum, fiat voluntas tua. Matth 26. 42.

Deus

Deus meus, clamabo per diem, & non exaudies. Pf. 21. 3.

MEDITATIO CII.

De Injuriis à Christo JEsu toleratis in domo Annæ & Caiphæ.

ALapam infligere Deo? Faciem ejus conspuere? Tractare, ut falsum Prophetam? Proclamare illum blasphemum? Judicare illum dignum morte? Condemnare illum, ut sceleratum? O impietas abominanda! O crimen detestandum!

Hæc ipsa perpetras, cùm Deum offendis. Hæc ipsa iteras, cùm proximum affligis. JEsum cædis, cùm cædis membra ejus. JEsum injuriâ afficis, cùm membris ejus injuriam infers.

Tolera sicus JEsus convitia, quibus perstringeris. Tolera cum JEsu injurias, quibus impeteris. An tu nobilior es quàm JEsus? An tu innocentior illo? Pejúsne tractaris, quàm ille? JEsus atrocissima quæque patitur, & tu nihil vis sustinere? JEsus ultionem non cogitat, & tu vindictam spiras?

O JEsu! mereor equidem contemni, qui toties te contempsi. Mereor recipere alapas, quas toties tibi infixi. Tu reus proclamaris, & ego innocens haberi desidero. Tu ad mortem iniquè condemnaris, & ego horreo vitam ponere. Moriar, ah! moriar pro te, quia tu mortuus es pro me. Patiar pro te, quia tu passus es pro me.

Occlude mihi os, cum voluero in querelas erumpere. Liga mihi linguam, cùm loqui voluero. iracundiæ meæ frænum laxem, non potero illam coërcere. Jam nunc ergo firmiter statuo, nunquam loqui, cùm turbulenta mentis commotio me invaserit.

Verba S. Scripturæ.

Unus assistens ministrorum dedit alapam JESU. Joan. 18. 22.

Blasphemavit: quid adhuc egemus testibus? quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt: reus est mortis. Matth. 26. 65.

Expuerunt in faciem ejus, & colaphis eum ceciderunt. Matth. 26. 67.

Faciem meam non averti ab increpantibus, & conspuentibus in me. Is. 50. v. 6.

Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis. Thren. 3. 3.

Quid me cædis? Joan. 18. 23.

Turbatus sum, & non sum locutus. Psal. 76. 5.

MEDITATIO CIII.

De Herode contempto à JEsu Christo, & de JEsu Christo spreto ab Herode.

HErodes desiderat videre JEsum, & JEsus eum non respicit. Herodes interrogat JEsum, & JEsus ei non respondet. Herodes miracula petit à JEsu, & JEsus nullum patrat.

Herodes ſpernit JEſum, & JEſus nihil inde movetur. Sapientia Dei ſtultitia reputatur ab omnibus mundi aſſeclis. Humilitas JEſu ludibrio eſt magnatibus, & ſapientibus hujus mundi.

JEſus non loquitur ſuperbis. Non ſe manifeſtat curioſis. Non favet impudicis. Horret adulteros. Ingratis ſubtrahit gratias ſuas. Contemnit illos, à quibus ipſe contemnitur. Tacet poſtquam locutus eſt. Silet, poſtquam vocavit. Abſcondit ſe, poſtquam quæſivit.

Tu impie Herodes! occidiſti ſanctum Joannem. Suffocâſti vocem JEſu. Contempſiſti conſilia ejus. Sacrificâſti illum cupiditati tuæ. JEſus tibi obmuteſcit. Tu ſuſtuliſti vocem ejus. Ne mirare, ſi tibi porrò non loquatur.

O mi Deus! quàm terribile eſt ſilentium tuum. Quàm timeo, ut mihi quoque deinceps non loquaris. Heu! quoties occidi Prophetas tuos? Quoties jugulavi Præcurſores tuos? Quoties extinxi inſpirationes tuas? Quoties rejeci gratias tuas? Audio verba tua; quibus tamen non obedio. Lego libros optimos, & nihil inde proficio. Volo deinceps tibi promptè obedire. Volo adhuc hodie, ubi vocem tuam audiero, me ſeriò ad te convertere.

Verba S. Scripturæ.

Herodes erat cupiens ex multo tempore videre eum, eò quòd audierat multa de eo, & ſperabat ſignum aliquod videre ab eo fieri. Luc. 23. 8.

Interrogabat eum multis sermonibus: at ipse nihil ille respondebat. Luc. 23. 9.

Sprevit illum Herodes cum exercitu suo. Luc. 23. 11.

Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, & quod infirmum est Dei fortius est hominibus. 1. Cor. 1. 25.

Ad te Domine clamabo: Deus, ne sileas à me; ne quando taceas à me, & assimilabor descendentibus in lacum. Ps. 27. 1.

Tempus tacendi, & tempus loquendi. Eccl. 3. 7.

MEDITATIO CIV.

De JESU Christo Barrabbæ postposito.

INnocens comparatur scelesto. Justus latroni. Rex mancipio. Deus sanctitatis, peccatori.

Injuriam hanc minùs sentit Christus quàm illam, quæ à Christiano ipsi infertur, quando illum comparat creaturæ. Quando illi præfert Luciferum. Quoties peccas, toties ejusmodi comparationem instituis, & turpiter JEsum contemnis.

O JEsu! Maxime, & minime. Prime & Novissime! Quando te video prostrarum ad pedes Judæ, non reperio ampliùs locum, quem occupem. Quando te video Barrabbæ postpositum, non video, nisi infernum, in quo me possim abscondere. An æquum est, ut eminere velim supra te? En te despectissimum in-

ter homines! Si me præferam vel uni soli homini, necesse est, ut me etiam præferam tibi.

O Anima mea! patere contemptus, quære humiliationes. Ne invideas sublimi aliorum dignitati. Ama potiùs abjectiones tuas. Si te humiles, Deus te exaltabit. Si te exaltes, Deus te humiliabit.

Verba S. Scripturæ.

Quem vultis dimittam vobis: Barrabam an JEsum? Matth. 27. 17.

Cui comparâstis me, & fecistis similem? Is. 46. 5.

Clamaverunt omnes dicentes: non hunc, sed Barrabam. Joan. 48. 5.

Filios enutrivi, & exaltavi: ipsi autem spreverunt me. Is. 1. 2.

MEDITATIO CV.

De Flagellatione JEsu Christi.

JEsus flagellis cæsus est instar mancipii. Undique perfusus suo sanguine. Corpus ejus non est nisi unica plaga. Ossa ejus conspiciuntur per vulnera. Ecce Agnum pelle suâ exutum, qui in cruce est immolandus!

Anima Christiana! Manibus arripe hæc flagella. Tu teipsum plecte. Dic: ego sum, qui peccavi. Ego mereor castigari. An æquum est, ut vivam sine vlunere, cùm videam Regem meum plagis undique fædè conscissum?

Quo-

Quomodo corpus meum glorificabitur, nisi purgatum fuerit per tolerantiam? Qui puniti non fuerint cum hominibus, punientur cum dæmonibus.

O sanctissime Agne! Quod crimen commisisti, ut tanta perferres supplicia, & tantam confusionem subires? Heu! in carne tua plectis delectationes scelestas carnis nostræ. Ut expiares peccata corporis nostri, corpus tuum tam atrociter fuit laceratum.

O Caro virginea! quàm crudeliter te laniârunt infames hominum voluptates! Acriter deinceps castigabo corpus meum, ut illud corpori tuo simile efficiam.

Mi Deus! confiteor ignaviam meam, non habeo animum me seriò castigandi. Tu ergo flagella arripe. Ne parcas debitis pænis mihi infligendis. Paratus sum ad omnia, quæ tibi placuerint. Castiga me, si ita sit necessarium. Sed castiga me, ut Pater non ut Judex. Castiga me ex amore, & non ex furore. Castiga me in tempore, & non in æternitate.

Verba S. Scripturæ.

Tunc apprehendit Pilatus JEsum, & flagellavit. Joan. 29. 1.

Tradidit JEsum flagellis cæsum. Marc. 15. 15.

Multa flagella peccatoris. Ps. 31. 10.

Ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper. Ps. 37. 18.

In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Ps. 72. 5.

Quos amat Dominus, castigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit. Hebr. 12. 6.

MEDITATIO. CVI.

De Christo JEsu spinis coronato.

JESUS coronatus est spinis. Coronatus est doloribus. Coronatus est ignominiis. Coronâ hac redimiri voluit, ut caput ejus cruciaretur. Ut expiaret delectationes cogitationum nostrarum. Ut puniret ambitionem nostram. Ut Emundaret immaginationem nostram. Ut palàm faceret, quodnam esses Regnum suum. Ut declararet, quinam essent subditi sui. Judæi eum salutant Regem suum, & tamen postulant eum crucifigi.

Christiane! Ecce Rex tuus. An illum amas cum hoc diademate? Si Filius Dei es, sicut ille, oportet te cum ipso crucifigi. Si auro coronari cupis in cœlo, oportet te spinis coronari in terra. Num decet sub capite doloribus coronato, membrum vivere delicatum? Coronæ mundi auro gemnisque fulgurant. Coronæ JEsu spinis sentibusque horrent.

Filiæ Jerusalem egredimini, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum Mater sua. Heu! Synagoga non est mater; sed crudelis noverca. Illa coronavit se rosis, & Deum suum coronavit spinis. Christiane; quoties delectaris cogitationibus obscænis, aut ambitiosis, toties renovas hæc Christi tormenta. Spinis crudelibus caput

put ejus config's. Affligis mentem ejus. Coronas illum ignominiis.

Filiæ Jerusalem! Ecce Homo, qui vos salvavit! Ecce Homo, quem egistis in Crucem! Ecce Homo, qui vos tam ardenter amavit! Ecce Homo, quem atrociter persequi non cessatis!

O pulcherrime inter homines! O maxime inter Regs! Nunquam deinceps te offendam. Nunquam à te deficiam. Judæi recusant tibi obedire. Mundi clientes cupiunt obedire Cæsari. Divites colunt Deum divitiarum. Sensuales adorant Deum voluptatis. Ego autem eligo Regem doloris Adoro Regem pauperem, & contemptum. Nolo alium venerari Regem, quàm JEsum. Opto spinis coronari, sicut JEsus.

Verba S. Scripturæ.

Milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus, & veste purpurea circumdederunt eum, Joan. 19. 2.

Exivit JEsus, portans coronam spineam, & purpureum vestimentum. Joan. 19. 5.

Ecce Homo. Joan. 19. 5.

Ecce Rex vester. Joan. 19. 14.

Coronans coronabit te tribulatione. Is. 22. 18.

Non habemus Regem, nisi Cæsarem. Joan. 19. 15.

JEsus Nazarenus Rex Judæorum. Joan. 19. 19.

Rex meus, & Deus meus. Joan. 19. 19

MEDITATO CVII.

De Via JEſu Chriſti, Crucem bajulantis.

JEſus bajulat Crucem ſuam humeris ſuis. Succumbit ſub graviſſimo onere. Subſtituunt ei vilem hominem, qui crucem pro ipſo ferat, qui crucem poſt ipſum ferat. Cogunt ad Crucem tollendam, & ſequendum JEſum.

Quæ cauſa eſt, cur JEſus admittat hoc ſolatium? Cur non patrat miraculum, quo poſſit crucem ſuam portare? Voluit auxilio ſibi eſſe Simonem Cyrenenſem, ut doceret homines, quòd crux hæc ipſis eſſet debita. Quòd ipſorum amore illâ voluerit onerari. Quòd nos eum adjuvemus in Cruce portanda, noſtram Crucem patienter ferendo. Quòd oporteat nos tollere crucem noſtram ſi cupiamus eſſe Diſcipuli ejus. Quod ipſe JEſus Crucem noſtram nobiſcum ferat. Et quòd nos cum ipſo debeamus bajulare Crucem ejus.

O beatum Simonem, qui portavit Crucem JEſu! Penes te eſt, mi Chriſtiane, eandem cum Simone felicitatem conſequi. Omnes noſtræ cruces ſunt particulæ Crucis Chriſti, quæ attigerunt animam aut corpus ejus. Ille primus bibit calicem noſtrum. Ille ſuſtinuit omnia, quæ nos ſuſtinemus. Ille ſuſcepit omnes dolores noſtros, quorum nullus eſt, qui non intimè penetraverit cor illius.

O JEſu Domine mi! ſequar te, quocunque jêris. Et quoniam Cruce onuſtus progrederis, tecum pariter Crucem bajulabo. Hæc eſt tro-

phæum ſalutis meæ. Hæc eſt vexillum Religionis meæ. Hæc eſt ſigillum prædeſtinationis meæ. Nolo itaque eam deſerere. Nolo eam invitus trahere, ſed alacriter eam volo portare, & te comitari, ac præeuntem ſequi.

O ſancta Crux! quæ conſecrata fuiſti ſanguine Dei, recipe me intra brachia tua. Permitte me requieſcere in ſinu tuo. Dona te totam mihi, ſicut ego me totum tibi dono. Porta me, obſecro, ut ego quoque te portem. Tam arctè me brachiis tuis conſtringe, ut nihil me poſſit à te avellare.

Verba S. Scripturæ.

Bajulans ſibi Crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum. Joan. 19. 17.

Veni, ſequere me. Marc. 10. 21.

Tunc JESUS dixit diſcipulis ſuis: ſi quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat Crucem *ſuam, & ſequatur me.* Matth. 16. 24.

Sequar te, quocunque ieris. Luc. 9. 57.

Omnes nos quaſi oves erravimus, & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrûm. Iſ. 53. 6.

MEDITATIO CVIII.

De JESU Crucifixo.

JEſus extenditur in Cruce, manus ejus, & pedes clavis perforantur. Affigitur cum violentia. Attollitur cum ingenti cruciatu. To-

ta corporis moles manuum pedúmque plagis innititur. Scaturiunt inde quatuor ſanguinis flumina, quæ irrigant agrum Eccleſiæ, & eluunt omnia peccata mundi.

Offerunt illi vinum amarum, quod ſopire non nihil potuiſſet dolorem ejus. Deguſtat illud ſupremis labiis, ut amaritudinem ſentiat, non tamen illud liberaliùs haurit, ne fortè tormenta ei dulceſcant. Blaſphematur, maledicitur, invitatur, ut de Cruce deſcendat, in qua tamen ille perſeverat usque ad mortem.

O JEſu! adoro te in hoc Throno doloris, & ignominiæ. O Divine Salvator! Conjicio me intra brachia tua, quæ extendiſti ad me amplexandum. O ſacra amoris Victima undequaque ardens, & conſumpta doloribus! O magne Sacerdos novæ legis! quid agis in hac Cruce? deſcende, & totus mundus credet in te.

Ah! non deſcende. Si filius Dei es, moriendum tibi eſt in cruce. Si inde deſcendas, nemo credet in te. Nemo volet ſequi te. Omnes fugient crucem ſuam. Omnes mori recuſabunt.

O Crux mihi chariſſima! exoſculor te, amplector te, mori cupio intra brachia tua, deſponſavi te mihi in Baptiſmo meo. Connubium hoc eſt indiſſolubile, quod non niſi mors poterit ſeparare. Ne mihi porrò mundus moleſtus ſit, quia ſtigmata Domini mei JEſu Chriſti in corpore meo porto. Cum ipſo ſum crucifixus. Cum illo deſidero mori.

Anima mea! reſpice Salvatorem tuum in Cruce. Peccata tua illum egerunt in Crucem. Semel crucifixus fuit in monte Calva-

variæ, at quoties tu illum crucifixisti in corde tuo? quoties illum offendis, toties illum crucifigis. Oportet crucifigere JEsum aut crucifigere concupiscentias tuas.

O JESUS! fac me mori, ne sim causa mortis tuæ. Crucifige corpus meum, ne crucifigam Spiritum tuum.

Verba S. Scripturæ.

Crucifixerunt eum, & cum eo alios duos hinc, & hinc medium autem JEsum. Joan. 19. 18.

Dederunt ei vinum bibere cum felle mistum, & cum gustâsset, noluit bibere. Matth. 27. 34.

Totâ die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem. Rom. 10. 21.

Christo confixus sum cruci. Gal. 2. 19.

Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis. Gal. 5. 24.

Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri JEsu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Gal. 6. 14.

Rursum crucifigentes sibimet ipsis Filium Dei, & ostentui habentes. Hebr. 6. 6.

MEDITATIO CIX.

De primo Verbo Christi in Cruce.

JEſus diu pendet in cruce, ne verbulo quidem prolato. Profundum obſervat ſilentium, nec queritur de doloribus ſuis. Sanguis ejus non poſcit vindictam, ſed potiùs gratiam, pro iis, qui illum effundunt. Orat pro illis, inter acerbiſſimos cruciatus. Et dum illi inſultant ejus miſeriis, excuſat illorum peccatum. Minuit ejus malitiam. Advocatum agit illorum, quorum eſt Judex. Obliviſcitur propriorum malorum ſuorum, ut medelam afferat malis hoſtium ſuorum. Magis ipſum affligit illorum interitus, quàm mors, ab illis ei illata.

Obſerva ſilentium, anima Chriſtiana! quando Crucem feres. Noli conqueri de ærumnis tuis, ne perdas fructum calamitatum tuarum. Abſconde te in ſinu humilitatis, & requieſce in patientiâ tuâ. Ora pro inimicis tuis. Oblíviſcere injuriarum, quas tibi intulêre. Excuſa ſaltem intentionem illorum, ſi non poſſis excuſare actionem. Indignus es gratiâ ſi veniam neges inimicis tuis.

O JEſu! veniam impertior inimicis meis, ignoſco illis, qui me crucifigunt. Ah! non ſciunt, quid faciant, Credunt ſe mihi malum inferre, cùm plurimum boni mihi procurent. Credunt, ſe ſibi benefacere cùm plurimùm ſibi mali accerſant. Perſequendo

me

me, plus boni mihi præstant, quàm ego ipse mihi possim procurare. Sibi ipsis plus mali inferunt, quàm ego ipsis possim optare.

Domine! ignosce illis, non enim sciunt, quid faciant. Ego pecco per malitiam, ipsi peccant per ignorantiam. Si tot haberent gratias, quot ego, non essent ita impii, ut ego. Si adeò vehementer tentaret, ac ipsi, pejor fortè forem, quàm ipsi.

Verba S. Scripturæ.

Pater! dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. Luc. 23. 34.

Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata solventur, Eccli 28. 2.

Diligite inimicos vestros, orate pro persequentibus, & calumniantibus vos. Matth. 5. 45.

Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus. Rom. 12. 19.

MEDITATIO CX.

De Pœnitentia boni Latronis, & Impœnitentia mali.

LAtro unus confitetur JESUM Christum. Altereum execratur. Unus eum adorat. Alter eum blasphemat. Unus per Crucem suam Cœlum conscendit. Alter de Cruce sua ad infernum descendit. Unus salvatur, lateri Christi proximus. Alter damnatur,

lateri Christi proximus. JEsum Redemptor est utriusque, ac non nisi unus Redemptionis fructum participat. JEsus vitam suam ponit pro utroque. Et alter moritur in sua pervicacia obstinatus.

O Judicia Dei, quàm estis inscrutabilia! O Bonitas Dei, quàm es amabilis! O Justitia Dei, quàm es terribilis! O Providentia Dei, quàm es mirabilis! Quis non timebit, se periturum? Quis non sperabit, se salvandum? Damnari quis potest in omni loco, cùm latronum alter lateri Dei proximus damnetur. Salvari quis potest in òmni tempore, cùm latronum alter in ultimo vitæ termino salvetur.

O verba ægris ac moribundis, dulcia, & solatio plena! Hodie mecum eris in Paradiso. Domine memento mei modò, cùm sis in Regno tuo. Bene equidem mereor crucem, quam patior: Sed tu quod crimen commisisti, propter quod in Crucem es actus? O Domine! Utinam! audiam te mihi acclamantem! Hodie mecum eris in Paradiso.

Verba S. Scripturæ,

Unus de duobus latronibus blasphemabat, dicens: salvum fac temetipsum, & nos. Luc. 23. 39.

Alter increpabat eum dicens: Neque tu times Deum. Ibidem.

Nos quidem justè, nam digna factis recipimus: Hic verò nihil mali gessit. Ibidem.

Domine memento mei, cùm veneris in Regnum tuum. Ibidem.

Erunt duo in lecto uno; unus assumetur, & alter relinquetur. Luc. 17. 34.

MEDITATIO CXI.

De Passione B. Virg. MARIÆ.

O Bone JESU! cur indulges Matri tuæ, ut sequatur te ad Calvariæ montem? Quomodo sustinere potes, ut te videat morientem? An non immunem eam servare deberes à dolore usque adeò acerbo. Quod crimen in te commisit, in cujus pœnam assistere debeat tuo supplicio?

Deus vult MARIAM stare ad pedem Crucis, ut cooperetur nostræ Redemptioni. Ut Offerat Deo grande hoc sacrificium. Ut reparet errorem Evæ. Ut concipiat omnes Prædestinatos. Ut Electorum Mater declaretur. Ut augeat dolores Filii sui. Ut particeps fiat Passionis ejus. Ut de calice ejus bibat. Ut evadat Regina Martyrum. Ut coronetur spinis ejus.

Martyres patiebantur pro JESU Christo. MARIA patiebatur cum JEsu Christo. Martyres patiebantur in corpore. Maria patiebatur in animâ. Martyres cruciabantur in carne sua, peccatis inquinata. Maria cruciabatur in carne innocente Filii sui. Martyres desiderabant mortem. Maria non poterat desiderare mortem Filii sui. Cor Martyrum

re-

rudundabat gaudio. Cor Mariæ obruebatur mœſtitiâ. Amor leniebat tormenta Marty- rum. Amor acuebat dolores Mariæ.

JEſus duplici modo fuit crucifixus. In ſuo corpore, pendens in Cruce. In ſuo ſpiritu, in corde Matris ſuæ. Maria duplici modo fuit crucifixa. Spiritualiter in animâ ſuâ. Corporaliter in carne Filii ſui. Amor inflige- bat cordi Matris vulnera, quibus ſanciabatur Corpus Filii. Quæ læthalia non erant Filio, Matri erant lethalia. Lancea, quæ aperuit cor mortuum JEſu, perfodii cor vivum Ma- riæ. Sicut nulla Mater vehementiùs dilexit, ita nulla Mater acriùs fuit afflicta.

O Filia Sion! cui comparabo te? Dolor tuus eſt ſine exemplo. Immenſus eſt, vult mare. Profunditas ejus eſt infinita. Latitu- do ejus eſt immenſa. Non eſt, niſi dolor Fi- lii tui, qui tuo poſſit comparari, & qui ex- cedat dolorem tuum. Ipſe eſt Rex Martyrum, & tu es Regina. Ipſe eſt Vir dolorum, & tu es Mulier dolorum.

O anima Chriſtiana! Conſcende cum Ma- ria Calvariæ montem, roga illam, ut te re- cipiat in filium ſuum. Participem te redde dolorum ejus. Miſce lacrimas tuas Mariæ lacrimis. Noli augere ejus afflictionem. No- li renovare ejus Paſſionem. Quandocunque peccas mortaliter, denuo crucifigis, Filium ejus O quàm mors hæc illi accidit acerba! O quantùm affligit ſacrum cor ejus! Conſen- ſit illa in mortem corporalem Filii ſui: Sed conſentire non poteſt in mortem ejus ſpiritua- lem. Prior vitam nobis reddidit. Altera mor-

mortem nobis affert. Sustine, sicut illa, subtractionem omnis solatii. Persevera, sicut illa, constans in omnibus ærumnis tuis. Non eris Filius Mariæ, nisi cum illâ perseveres ad pedem crucis. Mulier ecce Filius tuus! Fili ecce Mater tua!

O sancta Virgo! O Mater dolorum! O Regina Martyrum! O Sponsa crucis! Eligo te in Matrem meam. Recipe me in numerum filiorum tuorum. Imprime cordi meo plagas Filii tui. Confige me fortiter cruci ejus. Fac me participem dolorum ejus. Si reus sim, æquum est, ut patiar. Si innocens sim, æquum est, ut patiar. Si innocens sim, æquum est, ut te imiter. Perfode cor meum illo doloris gladio, qui cor tuum transfixit. Da mihi bibere calicem fellis, quo tu fuisti inebriata. Denique Materna tua ope assiste mihi morienti, sicut adstitisti morienti Filio tuo. Recipe animam meam in manus tuas? eamque inter Paradiso.

Verba S. Scripturæ.

Mulierem fortem quis inveniet. Prov. 31. 10.

Stabat juxta crucem JEsu Mater. Joan. 19. 25.

Dixit Matri suæ: Mulier ecce Filius tuus. Joan. 19. 26.

Dicit Discipulo: Ecce Mater tua. Joan. 19. 27.

Tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur, ex multis cordibus cogitationes. Luc. 2. 35.

Magna est velut mare contritio tua. Thren. 2. 13.

MEDITATIO CXII.

De Derelictione Christi: Deus meus, Deus meus! ut quid dereliquisti me,

O Quàm terribilis est hæc derelictio! Quæ facit ingemiscere Deum. Quæ fecit plorare Deum. Quæ fecit clamare Deum. Quæ est unica causa querelæ ab eo prolatæ coram inimicis suis, coram immensa populi multitudine, paulò ante, quàm moreretur. Quæ audientibus conquestionem ejus, argumentum præbet dubitandi, utrùm sit verus Dei Filius, cùm à Patre suo sit derelictus.

JESUS nunquam fuit separatus à gratia. Nunquam fuit separatus à gloria. Nunquam fuit separatus à Divinitate. Semper fuit sanctus. Semper beatus. Semper Deus. Terribilis hæc derelictio non erat, nisi suspensio sensibilis succursûs, quem Divinitas communicabat ejus Humanitati. Umbra erat illius pœnæ, quam sentit peccator, qui in inferno est derelictus à Deo.

Agnosco, mi Deus! quid sit, esse damnatum, ex dolore, quem Filius tuus in cruce sustinuit. Si privatio præsentiæ tuæ sensibilis & consolantis causa fuit, ut ingemisceret Filius

lius tuus tibi ſubſtantialiter unitus, quis unquam ferre poterit pondus furoris infiniti? Quis poterit in inferno tolerare ſeparationem æternam, privationem univerſalem gratiæ tuæ, Amoris tui, Præſentiæ tuæ, Conſolationis tuæ, Gloriæ tuæ, Felicitatis tuæ, auxilii tui protectionis tuæ, omnium, quæ deſiderari poſſunt, omnium quæ amari poſſunt, cum diluvio malorum omnium in omnem æternitatem?

O mi Deus! ne derelinquas me, quantúmvis ego te dereliquerim. Priva me, ſi neceſſe ſit, ſolatiis tuis: At non priva me gratia tua. Si me deſeras in vita, ne me deſeras in morte. Si me deſeras in tempore, ne me deſeras in æternitate.

O JESU! ego ſum, qui peccavi, & tu portaſti pœnam ſceleris mei. Ego debebam ab omnibus eſſe derelictus, & tu fuiſti derelictus pro me. O quàm me terret derelictio tua! O quàm me ſolatur derelictio tua! Tu fuiſti derelictus in morte, ne ego moriens derelinquerer. Ne quæſo Domine derelinquas me, quando totus mundus me derelinquet.

Verba S. Scripturæ.

Deus meus! Deus meus! ut quid dereliquiſti me? Matth. 27. 46.

Non derelinquas me Domine Deus meus! ne diſceſſeris à me. Pſ. 37. 22.

Ne projicias me in tempore ſenectutis: cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me. Pſal. 70. 9.

Dixerunt inimici mei: Deus dereliquit eum; persequimini, & comprehendite eum, quia non est, quia eripiat. Ps, 70. 11.

Non me derelinquas usquequaque. Ps. 118. 8.

Ipse dicit: Non te deseram, neque derelinquam. Hebr. 13. 5.

MEDITATIO CXIII.

De Siti Christi in Cruce.

JESUS sitit, nec quisquam ei potum porrigit. Pro refocillatione fel, & acetum illi offertur. Voluit sustinere hoc tormentum, ut in se puniret ingluviem nostram, & toleraret omnes pœnas, peccatis nostris debitas. Fuit derelictus in anima sua, & doloribus consumptus in corporo suo.

Omnes sensus ejus fuerunt crucifixi. Oculi ex aspectu crudelium inimicorum suorum. Aures ex illorum blasphemiis. Odoratus ex infectione loci fætidi. Tactus ex vulneribus. Gustus ex amaritudine fellis. Memoria ex cognitione nostrorum criminum. Intellectus ex tenebris. Voluntas ex terroribus. Appetitus ex infirmitate, tædio, & tristitia. Nullam habebat corporis partem, immunem à vulnere. Passus est ut purus homo, tanquam nec Deus esset, nec Beatus.

Victima jam pelle sua fuerat exuta: interiùs vero sana adhuc erat. Flagella pellem discerpserant, non tamen viscera laniârunt. Ut ergo affligeret omnia organa intempe-

rantiæ, & ingluviei nostræ, sustinuit crudelem sitim. Effecit, ut intra corpus suum penetraret amaritudo calicis sui. Fuit nempe tunc liber Divinissimi hujus Agni scriptus intus & foris.

JEsus queritur de siti, probe gnarus, quòd non nisi fel, & acetum sibi esset porrigendum. Cognosci à nobis voluit dolores suos, & ardorem amoris, quo consumebatur. Sitit salutem nostram. Desiderat plura tormenta, plures dolores, quia amor illum cogebat pati & mori.

O JESU Salvator mi! quid facere possum in tuum solatium? Possúmne ego restinguere sitim tuam? Absque dubio aliquid à me desideras. Quænam obsecro, est sitis, qua ardes? Novi equidem, quid petas. Desideras, ut ego peccatum hoc deseram. Ut renuntiem perversæ huic societati. Ut cruci tuæ appropinquem. Ut dolores tuos considerem. Ut orationi me impendam. Ut devotioni me dedam. Ut silentium servem, cùm quis me irritat, & offendit. Hæc nempe sunt, quæ à me desideras. Hæc sunt, quibus sitim tuam mihi licebit restinguere. Poteróne negare tibi hoc solatium inter dolores tuos atrocissimos? O si & ego arderem tui amore, sicut tu mei amore conflagrâsti! O si possem tanta pro te tolerare supplicia, quanta pro me sustinuisti! O quantùm languescere me facit amor! O quàm diu jam desidero tui amore mihi & mundo mori, & solvi de carcere mortis hujus!

Verba S. Scripturæ.

Ut consummaretur Scriptura dixit: sitio. Joan. 19. 28.

O si quis mihi daret aquam de cisterna Bethleem, quæ est in portu. 1. Par. 11, 17.

Mulier da mihi bibere. Joan. 4. 1.

Dederunt in escam fel, & in siti meâ potaverunt me acceto. Pf. 68. 22.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus: sitivit anima mea ad te, Deus: sitivit anima mea ad Deum fortem vivum. Pf. 41. 1.

MEDITATIO XCIV.

De sexto Verbo Christi in Cruce.

Consummatum est.

CUm ergo accepisset JEsus accetum, dixit: *Consummatum est*, quasi diceret. Holocaustum est consummatum. Voluntas Patris expleta est Evangelium annunciatum. Prophetiæ confirmatæ. Pretium Redemptionis humanæ persolutum. Ecce peccata hominibus remissa! Captivi liberati. Paradisus apertus Sacramenta instituta. Dæmones expugnati. Mundus reparatus. Nihil jam mihi superest, quod dicam, quod agam, quod patiar. Nihil mihi superest, nisi ut animam red-

reddam. Ad homines porrò ſpectabit, bene vivere, & ſe ſalvare.

O felix conſummatio bonorum! O infelix conſummatio impiorum! Conſummata ſunt omnia, exclamabunt peccatores. Deliciæ noſtræ tranſierunt. Recreationes noſtræ abruptæ ſunt. Fauſti dies noſtri defecerunt. Spes noſtræ evanuêre. Tempus noſtrum eſt elapſum. Vita noſtra terminata. Malitia noſtra conſummata. Inchoanda modò nobis erit perpeſſio malorum nunquam finiendorum Subeunda miſeria, nunquam conſummanda.

Conſummata ſunt omnia, dicent Sancti, Infauſti dies noſtri tranſierunt. Ærumnæ noſtræ terminatæ ſunt. Bella noſtra finita. Tumultus noſtri pacati. Dolores noſtri mitigati. Infirmitates noſtræ ſanatæ. Lacrymæ noſtræ exſiccatæ. Miſeriæ noſtræ conſummatæ. Nulla modò crux nobis ſupereſt portanda. Nulla adverſa toleranda. Nulla pœnitentia ſubeunda. Properamus ad Regionem Pacis, ubi gaudium noſtrum nunquam terminabitur.

Elige, anima Chriſtiana, alterutram ex duabus his conſummationibus. Neceſſe omnino eſt, dicere aliquando: *Conſummatum eſt.* Dicéſne id cum Lazaro in ſinu Abrahæ? an cum divite Epulone in inferno? Dicéſne id cum JEſu? an cum Pilato Judice iniquiſſimo? Quando tempus tuum conſummabitur, agnoſces! omnia non eſſe niſi vanitatem.

O JEſu! Author fidei noſtræ, & ſalutis noſtræ Conſummator! Utinam pro te vitam meam conſumam, ut tuam pro me conſumpſiſti! Utinam adimpleam omnes voluntates

tuas! Utinam totus consumar ad tuam gloriam! Utinam ardeam tui amore! Utinam corpus meum tibi consecrem in victimam! Utinam me indesinenter abnegem! Utinam omne beneplacitum tuum exequar! Utinam muneri meo plenè satisfaciam! Utinam moriens verè dicere possim: *Consummatum est.*

Verba S. Scripturæ.

Consummatum est. Joan. 19. 30.

Hac una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos. Hebr. 10. 14.

Aspicientes in Authorem fidei & consummatorem JEsum. Hebr. 12. 2.

Didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam; & consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ. Hebr. 5. 8.

Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum malorum, qui, cùm venerint, vanitatis arguentur præterita. Eccl. 11. 8.

ME-

MEDITATIO CXV.

De ultimo Verbo Christi in Cruce.

Pater! in manus tuas commendo Spiritum meum.

JESUS ſe tradidit Patri, cùm ab ipſo fuit derelictus. Docet nos mori, ſicut nos docuit vivere. Docet nos fiduciam, poſtquam docuit nos patientiam.

Imitemur JEſum viventem. Imitemur JEſum morientem. Quieſcamus inter expanſa ejus brachia. Commendemus ſpiritum noſtrum in manus ejus. Ipſe Pater noſter eſt, quomodo poſſet nos deſerere? Ipſe Salvator noſter eſt, cupiétne nos damnare?

Mori jam proximus, dicam Chriſto JEſu: Pater mi! commendo tibi Spiritum meum. Egreſſus hic eſt à te veluti ex ſuo principio: ecce revertitur ad te, veluti ad finem ſuum. Eſt ſpiritus oris tui. Eſt emanatio ſpiritûs tui. Eſt pretium ſanguinis tui. Eſt Sanctuarium gratiæ tuæ. Commendo illum in manus tuas, quæ pro ipſo clavis ſunt perforatæ. Commendo illum cordi tuo, quod ejus amore conflagravit. O Domine! curam habe ſpiritûs mei, & quando is reliquerit corpus ſuum, ne quæſo illum derelinquas. Niſi recipiatur in manus tuas, heu! ſalus ejus eſt deſperata. O Domine! ne ſinas perire animam, quam tanta pretio redemiſti.

Egredere anima mea, desere corpus tuum. Cur mortem adeò formidas? JEsus pro te mortem suam interponit. Ipse te Patri suo commendavit, quando ipsi commendavit spiritum suum. Qui Deo adhæret, unus cum ipso spiritus efficitur. Egredere è corpore tuo, anima Christiana! in Nomine Patris, qui te creavit; in Nomine Filii; qui te redemit; in Nomine Spiritûs sancti, qui te sanctificavit. JEsus vocat te ad Paradisum suum. Inclina caput tuum in signum Obedientiæ. Ne timeas; secura enim es intra manus JEsu Christi.

Verba S. Scripturæ.

Clamans voce magna, Pater! in manus tuas commendo Spiritum meum, & hæc dicens exspiravit. Luc. 23. 46.

Inclinato capite tradidit Spiritum. Joan. 19. 30.

Deus, Rex noster ante sæcula, operatus est salutem in medio terræ. Ps. 73. 12.

Qui adhæret Domino, unus Spiritus est. 1. Cor. 6. 17.

Si Deus pro nobis, quis contra nos? Rom. 8. 31.

Itaque & hi, qui patiuntur secundùm voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas suas in benefactis. 1. Petr. 4. 19.

MEDI-

MEDITATIO CXVI.

De Morte Filii DEI.

JESUS mortuus eſt, quis mori timebit? Mortuus eſt pro nobis; quis recuſabit mori pro illo? Mortuus eſt conſumptus doloribus; quis mori optabit conſumptus deliciis? Nortuus eſt, ut nos redimeret; quis alteri volet ſervire domino, quàm ipſi? Mortuus eſt propter peccata noſtra, quis audebit, peccando denuo illum crucifigere?

O bonum Paſtorem, qui mortuus eſt pro ovibus ſuis. O magnum Sacerdotem, qui immolatus eſt pro hominibus: O fidelem Amicum, qui dilexit nos uſque ad mortem. O divinum magiſtrum, qui Cathedram ſuam erexit in Calvariæ monte!

O JEſu! cùm tu mortuus ſis pro me, æquum eſt, ut & ego moriar pro te. Quoniam exemplum mihi dediſti ſanctæ mortis, æquum eſt, ut moriar ſicut tu. Veniam itaque indulgeo omnibus inimicis meis. Spero Paradiſum à te mihi donandum. Commenda me, quæſo te, benigniſſimæ Matri tuæ. Dic illi, ut ſedulam mei curam gerat. Ah! noli me derelinquere mi Deus! cùm totus mundus me deſeret. Robora me gratia tua, cùm perdidero omnes vires corporis mei. Sitio, deſidero videre te. Sitio, deſidero ſanctè mori. Quando tandem adveniet finis

vitæ meæ? Quando consummabo sacrificium meum?

O Pater mi in manus tuas commendo Spiritum meum. Unio ac conjungo mortem meam cum morte Filii tui. Memento quæso, quod me redemerit pretioso sanguine suo. Ne perdas, obsecro, animam meam, quæ tanto pretio est redempta.

Verba S. Scripturæ.

Inclinato capite tradidit Spiritum. Joan. 18. 30.

Justus perit, & non est, qui recogitet in corde suo. Is. 57. 1.

Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversùs semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini, animis vestris deficientes. Hebr. 12. 3.

Pro impiis mortuus est. Rom. 5. 6.

Christus pro nobis mortuus est. ibid. 9.

In hoc Christus mortuus est, & resurrexit, ut & mortuorum, & vivorum dominetur. Rom. 14. 9.

Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Ibid. 3. 3.

MEDITATIO CXVII.

Oratio circa ſeptem Stationes Filii Dei Patientis.

STATIO I.

O JESU, Salvator mi! qui ſudâſti ſanguinem & aquam in monte Olivarum, ex conſideratione tormentorum, & peccatorum meorum; qui expoliâſti te fortitudine tua, ut indueres infirmitates meas. Adoro te, undique perfuſum ſanguine tuo. Gratias ago ſacratiſſimo cordi tuo, quod pro me fuerit tam acerbè afflictum. Deteſtor omnia peccata, quæ cauſa fuêre tanti mœroris tui. Statuo firmiter, mori potiùs, quàm unquam deinceps te affligere. Largire mihi gratiam, ut poſſim ſicut tu, concipere dolorem intenſiſſimum de iniquitatibus meis, ut reſiſtam uſque ad ſanguinem tentationibus dæmonis & carnis, atque ut tuo exemplo animatus, me in rebus omnibus voluntati Patris tui plenè conformem.

STATIO II.

O JESU, Domine mi! qui fuiſti alapis percuſſus, illuſus, & peſſimè exceptus in domo Annæ & Caiphæ: Gratias tibi ago, quod mei amore tot injurias & opprobria ſis perpeſſus. Heu! quoties alapis te percuſſi,

& opprobriis affeci in perſona proximi mei? quia tibi ipſi illatum æſtimas omne malum, quod aliis infertur. Rogo humillimè veniam, & firmiter ſtatuo, deinceps tui amore tolerare omnes injurias mihi inferendas, & nunquam ampliùs te offendere in perſona fratrum meorum, nec opere, nec verbis, nec judicio, nec vuluntate.

STATIO III.

O JESU, mi Rex, qui fuiſti ludibrio habitus ab Herode, & Judæis, quando tibi prætulerunt latronem ſeditioſum, & homicidam; veniam à te peto, quòd toties tibi prætulerim dæmonem, ac viliſſimas creaturas. Promitto, nunquam deinceps ampliùs te deſpicere. Tu ſemper eris Rex cordis mei. Moriar potiùs, quàm ut, quod hactenus, prô dolor! ſæpiùs egi, te abjiciam infra pedes luciferi, Latronis ſeditioſi, & homicidæ omnium hominum.

STATIO IV.

O JESU puriſſime, & caſtiſſime inter omnes homines! cujus caro innocens lacerata fuit ictibus flagellorum in domo Pilati, ut expiares delectationes ſceleſtas, quas indulſimus carni noſtræ. Agnoſco, quòd mei amore ſuſtinueris tormenta uſque adeò crudelia: doleo, quòd te tot vulneribus conſciderim, & toties ea renovarim per delectationes illi-

citas,

citas, quas sensibus meis indulsi. Obsecro te per dolores tuos, ut sanctifices corpus meum, & animam meam, eámque laves pretioso tuo sanguine ab omnibus iniquitatibus suis, neque unquam permittas, ut caro mea sanguine tuo emundata, ullo deinceps peccato maculetur.

STATIO V.

O JESU Regum Maxime! qui fuisti spinis coronatus: & humeris tuis portâsti signum Regula Principatûs tui; agnosco, & veneror te, ut Regem meum, quantumcunque sis despectus, & deformatus, Et quoniam in toto corpore tuo non est inventa sanitas, nolo deinceps ullam voluptatem indulgere corpori meo: sed vivere cupio in dolore, ut sim fidelis servus tuus, & dignum membrum capitis, mei amore spinis coronati.

STATIO VI.

O JESU Redemptor mi! qui pro me fuisti crucifixus, & omnem sanguinem tuum profudisti, ut me eriperes de potestate dæmonis, cui mancipatus eram; gratias tibi ago de incomparabili hoc amore, quo me dilexisti; de tantis tormentis, quæ pro me sustinuisti: Exosculor cum reverentiâ sacros pedes tuos, & sacras manus tuas pro me clavis perforatas. Adoro sacrum tuum cor,

quod mei amore lanceâ fuit apertum, & promitto potiùs mori, quàm deinceps unquam te intra cor meum crucifigere.

STATIO VII.

O JESU! vita mea! qui mortuus es pro me, atque à Patre tuo fuiſti derelictus, ne ego in morte derelinquerer. O mitiſſime Agne, pro ſalute hominum immolate! Victima amoris, & patientiæ, qui fuiſti conſumptus atrocitate dolorum! O Sancte Sanctorum! O Rex Regum! Quid agere poſſum, ut gratum me ſiſtam tantæ bonitati? Utinam mori poſſem pro te, ſicut tu mortuus es pro me!

Credo, te eſſe Salvatorem meum: & niſi hoc crederem, penitùs deſperarem. Spero, benignè à te mihi condonanda omnia peccata mea, & præmia æterna largienda, quoniam vitam tuam mihi donâſti. Deteſtor ex animo immania crimina mea, quæ ſunt cauſa mortis tuæ. Vitam potiùs ponere paratus, quàm ut te unquam interficiam in corde meo, quia mors hæc infinities acerbior tibi eſt, & ignominioſa, quàm fuerit mors crucis. Veniam à te ſupplex rogo pro omnibus, qui me offenderunt. Totum me conſecro ſanctiſſimæ Matri tuæ, quam & in meam Matrem eligo, ac mori deſidero intra brachia ejus. In manus tuas commendo ſpiritum meum, & obteſtor te per extremam derelictionem tuam, ne me derelinquas in horâ mortis meæ; ſed, ut me recipias in Paradiſum tuum, ut ibi te

videam, amem, laudem, & benedicam in æternum. Amen.

Oratio hæc recitari potest tempore Missæ, ante Confessionem & Communionem; præcipuè verò cùm quis æger decumbit, & quovis per annum die Veneris coram imagine Christi crucifixi. Oportet nonnihil inhærere cuilibet Stationi, & ex intimo cordis elicere actus, qui ore pronuntiantur.

MEDITATIO CXVIII.

De Sepultura JEsu Christi.

JESUS ex cruce depositus est in sepulchrum. Ecce finem laborum ejus. Ecce locum quietis ejus. Ecce terminum viarum ejus! Discipuli ejus fidem ferè perdidêre quia amiserunt ejus præsentiam. Timidi sunt, & terrore perculsi, quia illum non vident, nec audiunt ampliùs.

Beatus ille, qui recipit intra cor suum JEsum è cruce depositum! Granum frumenti, ut fructum afferat, debet mori, & in terram abscondi. Brachia Sacerdotis in altari, sunt brachia crucis. Cor tuum est sepulchrum, in quo Christns optat quiescere.

Beatus ille, qui crucifixus est, qui mortuus, & sepultus est. Qui jacet in terra absconditus. Qui pedibus conculcatur. Qui latet hominibus ignotus. Qui quiescit in Deo. Resurget paulò pòst cum JEsu Immortalis, & impassibilis, sicut ipse.

R. P. Grasset, S. J.

Beatus ille, qui conſervat fidem in morte, & caligine ſenſuum. Qui non perdit ſpem, tametſi amiſerit præſidium ſuum. Qui non ceſſat diligere, tametſi careat omni ſolatio.

O JEſu! Abſconde me in ſepulchro tuo. Involve me ſacro ſudario tuo. Utinam deinceps latere poſſim ignotus omnibus hominibus! Utinam moriar omnibus ſenſibus meis! Paratus ſum tecum deſcendere uſque ad carceres inferni. Si enim tecum ſim, nihil habeo, quod timeam. Infernus te præſente mihi foret Paradiſus. Paradiſus, te non præſente, mihi foret infernus.

Verba S. Scripturæ.

Accepto corpore, Joſeph involvit illum in ſindone munda: & poſuit illum in monumento ſuo novo, quod exciderat in petra. Matth. 27. 59. & 68.

Mulier, quid ploras? Tulerunt Dominum meum, & neſcio, ubi poſuerunt eum. Joan. 20. 13.

Repleta eſt malis anima mea, & vita mea inferno appropinquavit. Pſ. 87. 4.

Æſtimatus ſum cum deſcendentibus in lacum: factus ſum, ſicut homo ſine adjutorio, inter mortuos liber. Pſ. 87. 5.

Poſuerunt in lacu inferiori in tenebroſis, & in umbra mortis. Pſ. 87. 7.

Sicut vulnerati dormientes in ſepulchris. Pſ. 87. 6.

MEDITATIO CXIX.

De Resurrectione JESU Christi Domini nostri.

JESUS surrexit à mortuis. Vita fruitur gloriosa. Prodiit redivivus è sepulchro. Mortem devicit. De Sathana triumphum egit. Confregit portas inferni. Spolia inde abstulit. Perterrefecit sepulchri custodes. Confudit Judæos. De omnibus hostibus suis triumphavit.

Anima mea! noli ultrà plorare. JEsus recepit novam vitam. Non morietur deinceps in corde tuo, nisi peccatis tuis illum rursus crucifigas.

JEsus resurrexit in animabus nostris. Reversus est in Regnum suum. Dæmones inde ejecit. Triumphavit de peccato. Cupiditates nostras captivas detinet. Moratur intra nos per gratiam suam. Vivit per spiritum suum. Regnat per amorem suum. Quiescit per pacem suam. Tota Ecclesia est resuscitata. Totum ejus corpus est extra sepulchrum. Omnia ejus membra rursus sunt animata. Nullum superest mortuum, nullum ægrum.

Anima mea! noli ultrà plorare. JEsus recepit novam vitam. Non morietur deinceps in corde tuo, nisi peccatis tuis illum rursus crucifigas.

Mane nobiſcum, amantiſſime JEſu! Ecce nox appropinquat. Ecce dies declinat ad occaſum. Ecce dæmones adverſùs me conjurant. Ecce leones rugiunt. Ecce paſſiones, & indomiti affectus rebellionem concitant. Ecce mali habitus reſuſcitantur. Ecce mundus arma contra me ſtringit. Ecce caro rurſus invaleſcit. Vita tua, mi JEſu! in tuto non eſt. Infernus contra te conſpiravit. Impii conjurarunt in necem tuam. Renovare moliuntur Paſſionem tuam.

Anima mea! noli ultrà plorare JEſus recepit novam vitam. Non morietur deinceps in corde tuo, niſi peccatis tuis illum rurſus crucifigas.

O inſenſati Galatæ! Quid machinamini? An non cognoſcitis ampliùs JEſum Redemptorem veſtrum? Ante biduum ploràſtis mortem ejus. Et modo rurſus illi necem paratis? Jam flagra arripitis, quibus eum diſcerpatis? Spinas jam colligitis, quibus eum coronetis? Præparatis crucem, cui illum denuo affigatis?

Quid, obſecro, mali tibi intulit, ut illum rurſus velis crucifigere? An reus eſt mortis, quia te amavit uſque ad mortem? An mortem fuit promeritus, quia te ſalvavit?

Anima mea! noli ultrà plorare. JEſus recepit novam vitam. Non morietur deinceps in corde tuo, niſi peccatis tuis illum rurſus crucifigas.

Ver-

Verba S. Scripturæ.

Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. Luc. 24. 34.

Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultrà non duminabitur. Rom. 6. 9.

Rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes. Hebr. 6. 6.

Igitur, si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Col. 3. 1. & 2.

MEDITATIO CXX.

De vulneribus JESU Christi.

JESUS retinet vulnera, etiam cùm à mortuis resurrexit. Ne te extereant vulnera, quæ tibi remanent post resurrectionem tuam. Nihil mali est, ea sentire. Magni meriti est, ea tolerare. Esto impassibilis, ne ulli cupiditati indulgeas. Esto immobilis, ne ulli tentationi consentias.

Vulnera JEsu illuminant fidem nostram. Firmant spem nostram. Inflammant charitatem nostram. Non possumus deinceps dubitare de ejus erga nos amore. Vidimus cor ejus per vulnera. Non debemus ampliùs diffidentia dejici. JEsus est advocatus noster in cælo. Orat pro nobis per tot ora, quot vulnera exhibet in suo corpore. Clavi sunt claves,

quibus aperta eſt hæc arca Redemptionis noſtræ. Omnes theſauri in ea reconditi, modò ſunt in noſtra diſpoſitione.

O JESU Salvator mi! Quàm ſolantur me vulnera tua? Quàm ſecurum me reddunt vulnera tua? Quantùm me inflammant vulnera tua? Promanat inde balſamum, quod ſanat omnia vulnera mea. Quis audebit me accuſare, qui noverit, te eſſe Advocatum meum? Quis audebit me condemnare, qui noverit, te eſſe Judicem meum? Quis audebit mihi adverſari, qui noverit, te aſſe Salvatorem meum?

O Divine Salvator! Imprìme mihi ſacra tua ſtigmata. Imprime illa animæ meæ, & corpori meo. Quis vivere poſſit ſine vulnere, videndo te undique vulneribus coopertum? Non poſſum amare cor meum, niſi vulneratum ſit, ſicut tuum. Heu! Quod ſolatio perfundet prædeſtinatos, immane tormentum erit damnatis.

Verba S. Scripturæ.

Oſtendit eis manus & pedes. Luc. 24. 40.

Oſtendit eis manus & latus. Joan. 20. 20.

Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? Zach. 13. 6.

His plagatus ſum in Domo eorum, qui diligebant me. ibid.

Ecce in manibuus meis deſcripſi te. Iſ. 49. 16.

Quem tu percuſſiſti, perſecuti ſunt, & ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt. Pſal. 8. 27.

MEDITATIO CXXI.

DE JESU bono Pastore.

JESUS est Pastor bonus. Cognoscit omnes oves suas. Cognoscit illas, sicut ille cognitus est à Patre suo. Vitam illis donat, sicut ipse recipit à Patre suo. Omnes vocat nominatim. Deducit illas per vias rectas. Peculiari providentia illas gubernat. Semper ante illas vadit, pedum crucis in manu gerens. Restituit illas in viam rectam, si fortè inde aberrent. In aspera dumeta lætus se conjicit, ut perditam oviculam inde eripiat. Inventam sustollit in humeros, eamque ad ovile reportat. Magnum inde testatur gaudium, nec quidquam molesti infert ovi perditæ & recuperatæ.

JEsus est Pastor bonus. Bene nutrit oves sibi charissimas. Ducit illas in pascua pinguia. Nutrit illas Verbo suo. Saginat illas carne sua. Inebriat eas sanguine suo. Roborat eas gratiâ suâ. Animat eas spiritu suo. Ditat eas meritis suis. Quis Pastor nutrit oves suas carne sua, & sanguine suo, sicut Christus?

JEsus est Pastor bonus. Vitam suam ponit pro ovibus suis. Non se nutrit carnibus ovium. Non se vestit lanis, & pellibus ovium. Seipsum exspoliavit, ut eas vestiret. Jejunavit, ut eas nutriret: Non laborat, nisi pro illis. Tuetur illas contra lupos, quos arcet,

ne gregi appropinguent. Adjuvat oves, ut lupos repellant. Sublevat eas, cùm lapsæ sunt. Portat eas, cùm tristes sunt. Solatur eas, cùm tristes sunt. Sanat eas, cùm ægræ sunt. Resuscitat illas, cùm mortuæ sunt.

O JEsu quàm verè es Pastor bonus! sed quàm perversas habes oves! Subducunt se directioni tuæ. Contemnunt pascua tua. Nolunt cibum capere de mensa tua. Ultro lupos undique inquirunt. Ululant, & currunt cum lupis, ac cum illis oves devorant.

O Pastor mi Divine! sequar te, quocunque ieris. Nunquam me avertam à semitis tuis. Tecum montes conscendam. Tecum descendam in valles. Nunquam te conquerar. Semper directioni tuæ acquiescam.

Verba S Scripturæ.

Ego sum Pastor bonus. Joan. 10. 11.

Cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ. Joan. 19. 14.

Ante eas vadit, & oves illum sequuntur. Joan. 10. 4.

Et ego non sum turbatus, te Pastorem sequens. Jerem. 17. 16.

Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit. Psal. 22. 1.

Erravi sicut ovis, quæ periit, quære servum tuum. Ps. 118. 176.

MEDITATIO CXXII.

De ovibus JESU Christi.

QUi amat Pastorem suum, sequitur in omnibus directionem ejus. Audit, & agnoscit vocem ejus. Cum ipso secura degit. Perit, cùm ab ipso deviat. Bene progreditur, cùm ipsum sequitur.

JEsus commisit sancto Petro curam gregis sui. Vox ejus auditur in Ecclesia. Extra Ecclesiam non auditur. Virtutes sine obedientia sunt magni passus extra rectum tramitem. Errat potiùs quàm progreditur, qui sine Superiorum directione vult progredi.

Ovis non ratiocinatur. Vadit, quò ducitur. Nunquam rectiùs progreditur, quàm cùm sequitur Pastorem suum. Ipsius ductui se totam committit. In ejus societate nihil timet. Sine judicio est, qui nimiùm fidit suo judicio. Caret directione, qui se non sinit in omnibus dirigi.

Ovis non murmurat. Non erumpit in impatientiam. Non offendit Pastorem suum. Non quæritur de ejus directione. Facilè tonderi se patitur. Libens ad mortem vadit Jugulari se sinit. Moritur, & obmutescit. Summa patientia opus est, ut tolerentur homines impatientes. Volunt hi, ut Deus patiatur ab ipsis: ipsi autem nihil volunt pati à Deo.

Ovis non est armata dentibus. Non mordet alias oves. Est mitissimum animalium. Nihil habet ferociæ, nihil sævitiæ. Odit singularitatem Servat unitatem. Quærit societatem. Complacet sibi in communitate. Signa ovium JEsu Christi, sunt mansuetudo, & charitas.

An tu es ovis JEsu Christi? An amas Pastorem Ecclesiæ? An sequeris ductum Dei? An te totum permittis ejus providentiæ? An obedis superioribus tuis? An renuncias propriis dictaminibus tuis? An non quereris, si quam patiaris jacturam? An non murmuras in afflictionibus tuis? An diligis proximum tuum? An nullo verbulo illum offendis? An ejus miseriis compateris? An non illi irascceris?

Verba S. Scripturæ.

Qui regis Israël, intende. Qui deducis, velut ovem Joseph. Ps, 79. 2.

Vestigia ejus secutus est pes meus, Job. 23. 11.

Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. Is. 53. 7.

Obmutui, & non aperui os meum. quoniam tu fecisti. Ps. 38. 10.

In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Joan. 13. 35.

Si invicem mordetis, & comeditis, videte ne ab invicem consumamini. Gal. 5. 15.

MEDITATIO CXXIII.

De Ascensione JEsu Christi.

QUò progrederis Divine Paſtor? Itáne deſeris oves tuas? Quò progrederis amantiſſime Pater? Itáne deſeris filios tuos? Quò progrederis invictiſſime Imperator? Itáne deſeris milites tuos? Quid facient miſeræ oviculæ in medio luporum? Quid facient filii in medio platearum? Quid facient milites in medio ſuorum hoſtium?

Abi Dilecte mi! Deſere terram hanc ingratam, quæ tam crudeliter te excepit. Corpus tuum immortale, non debet morari in regione mortis. Corpus tuum incorruptibile, non debet morari in loco corruptionis. Corpus tuum impaſſibile, non debet morari in loco afflictionis.

Vade Imperator invicte, mundi Domitor. Cælum conſcende, quod ſanguine tuo comparâſti. Accipe poſſeſſionem Regni, tibi ab omni æternitate debiti. Deduc tecum, ad honorandum triumphum tuum, victrices turmas. Noli curſum ſiſtere, donec ſummum Cæli culmen attigeris. Aſcende, ut conſidas in Throno Dei. Æquum eſt, ut poſt tantos labores quietem capias. Æquum eſt, ut poſt tantam humiliationem gloriâ & honore coroneris.

Progredere Arca Domini, poſtquam tormentorum procellis diu fuiſti agitata. Progre-

gredere, ut quiescas in summo culmine montium Armeniæ. Exurge, Domine, in Requiem tuam, tu, & Arca sanctificationis tuæ. Confregisti portas inferni. Pande nobis ostia cæli. Intra in palatium gloriæ tuæ. Vade parare nobis locum. Vade, ut præsentes nos Patri tuo. Vade, ut illi exhibeas vulnera tua. Vade, ut sis mediator noster. Vade, ut mittas nobis Spiritum sanctum tuum.

O JEsu! Quoniam in cœlo jam regnas gloriosus, nullam reperio consolationem in terra. Ubi est thesaurus meus, ibi est & cor meum. Anima mea solvi desiderat vinculis corporis, ut possit frui præsentia tua. Quando tandem liber evadam ex hoc exilio? Quando revertar ad Patriam, mihi optatissimam?

O JEsu! Spes animarum derelictarum. Consolatio animarum afflictarum. Tu promisisti, quod velles attrahere omnia ad teipsum, si exaltatus fueris à terra. Ecce! elevatus jam es super omnes cælos, adimple modò promissa tua. Eripe me ex hoc mundo maligno. Avelle me à creaturis. Trahe me fortiter, quia nimis arctè terræ adhæreo. Trahe me celeriter, quia tædet me porrò vivere. Heu! qualis vita! Heu! qualis mors!

O chara vita mea! Da mihi, obsecro, optatam mortem, qua mihi ipsi moriar, tibique æternùm vivam.

Verba S. Scripturæ.

Et Dominus quidem JEsus, postquam locutus est, assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei. Mcrc. 16. 19.

Ascendens in altum captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus. Ephes. 4. 8.

Non turbetur cor vestrum, vado parare vobis locum, accipiam vos ad meipsum, ut, ubi sum ego, & vos sitis. Joan. 14. 1. 2. & 3.

Ego, si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Joan. 12. 32.

Trahe me post te. Cant. 1. 3.

MEDITATIO CXXIV.

De adventu Spiritûs sancti.

NOn sumus membra JEsu Christi, nisi vivamus spiritu ejus. Spiritus JEsu est spiritus vitæ, qui nos animat. Est Spiritus Gratiæ, qui nos sanctificat. Est Spiritus sapientiæ, qui nos edocet. Est Spiritus amoris, qui nos arcta charitatis unione conglutinat. Est Spiritus pacis, qui nos pacificat. Est Spiritus puritatis, qui nos emundat. Est spiritus libertatis, qui nos è cupiditatum laqueis eximit. Est Spiritus gaudii, qui nos solatur. Est Spiritus humilitatis, qui nos humiliat. Est Spiritus obedientiæ, qui nos efficit obsequentes.

Spiri-

Spiritus JESU, nos ex hominibus effecit Deos. Ex peccatoribus juſtos. Ex infirmis fortes. Ex triſtibus lætos. Ex frigidis ferventes. Ex iracundis manſuetos. Ex ignorantibus ſapientes. Ex timidis animoſos.

Spiritus JEſu, non deſcendit in ſuperbos. Non quieſcit in cordibus turbulentis. Deteſtatur animas inquinatas. Averſatur mentes, vanitati deditas. Non conſentit cum carne, cui bellum movet internecinum. Non poterat deſcendere ſuper Apoſtolos, quamdiu fruebantur ſenſibili præſentia JEſu Chriſti.

Spiritus JEſu vivit in nobis per gratiam. Morarur per charitatem. Regnat per amorem. Quieſcit per pacem. Affligitur per peccatum veniale. Extinguitur per mortale. Amittitur per amorem mundi. Depellitur per amorem carnis.

O mi Deus! Quàm ſuavìs eſt ſpiritus tuus! Quàm auſterus eſt meus! Quàm ſanctus eſt tuus! quàm profanus eſt meus! quàm humilis eſt tuus! Quàm ſuperbus eſt meus!

O ſancte Spiritus! Pater pauperum, Conſolator afflictorum. Veni & deſcende ſuper nos. Veni & conſolare nos. Illuſtra nos lumine tuo. Dirige nos ſapientiâ tuâ. Anima nos gratiâ tuâ. Sanctifica nos amore tuo. Confirma nos fortitudine tua. Penetra nos unctione tua. Adopta nos Charitate tua. Pacifica nos præſentia tua. Salva nos miſericordia tua.

Verba

Verba S. Scripturæ.

Spiritus est, qui vivificat. Joan. 6. 64.
Repleti sunt omnes Spiritu sancto. Act. 2. 4.
Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Rom. 5. 5.
Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Rom. 8. 9.
Quicunque Spiritu Dei aguntur, ii sunt Filii Dei. Rom. 8. 14.
Si Spiritu vivimus, Spiritu & ambulemus. Gal. 5. 25.

MEDITATIO CXXV.

De Sanctissima Trinitate.

TOt credit homo Deos, quot diligit creaturas. Adorat Trinitatem terræ, & contemnit Trinitatem Cœli. Non æstimat, nisi splendidos mundi honores. Non quærit, nisi terræ divitias. Non desiderat, nisi delectationes sensuum. Spernit potentiam Patris. Contemnit sapientiam Filii. Despicit bonitatem Spiritus sancti.

Estne hoc credere Deum sapientem, si murmures contra ejus providentiam? Estne hoc credere Deum omnipotentem, si iram ejus non timeas? Estne hoc credere Deum sanctum, si tot sceleribus eum offendas? Estne hoc credere Deum intaminatum, si voluptatibus sen-

ſuum totus inhæreas? Eſtne hoc, credere Deum bonum, ſi illum non diligas? Eſtne hoc credere Deum infinitæ Majeſtatis, ſi eum non reverenter adores? Eſtne hoc credere Deum beneficum, ſi nullas ei gratias referas:

O ſanctiſſima Trinitas! Benedico te, Adoro te. Amabo te in tempore & æternitate. Gloria ſit Patri, qui me creavit. Gloria ſit Filio, qui me redemit. Gloria ſit Spiritui ſancto, qui me ſanctificavit. Gloria ſit Patri, qui me ſuſtentat per ſuam potentiam. Gloria ſit Filio, qui me gubernat per ſuam ſapientiam. Gloria ſit Spiritui ſancto, qui me ſanctificat per ſuum amorem. Gloria ſit Patri, qui conſervat meam eſſentiam. Gloria ſit Filio, qui intellectum meum illuminat. Gloria ſit Spiritui ſancto, qui conſecrat voluntatem meam. O utinam ſanctiſſima Trinitas ſemper ſit benedicta ab omnibus Angelis, & hominibus nunc, & in æternum! Amen.

Verba S. Scripturæ.

Euntes ergo docete omnes gentet baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Matth. 28. 19.

Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres unum ſunt. 1. Joan. 5 v. 7.

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, plena eſt omnis terra gloria ejus. Iſ. 6. 3.

Om-

Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. 1. Joan. 2. 16.

MEDITATIO CXXVI.

In Forma Dialogi.

De Institutione Sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ.

Discipulus.

Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis, & cinis. O mi Deus, quàm admiranda est sapientia tua! Quàm profunda sunt mysteria tua! Quàm profunda sunt mysteria tua. Cur nobiscum moraris in terra, cùm corpus tuum sit gloriosum? Nobilissimum omnium corporum, nunquid habitare debet in summo cœli solio? Thronus tuus est Firmamentum. Terra est scabellum pedum tuorum. Cur non sedem figis in Palatio Gloriæ tuæ? Cur inhabitas lutosam hanc terram?

Magister.

Terram incolo, ut satisfaciam amori meo. Conversor cum hominibus, ut satisfaciam desiderio eorum. Versor cum Discipulis meis, ut consoler eos mea præsentia Habito inter oves meas, ut eas defendam à lupis. Relinquo me Ecclesiæ meæ, ut ei sim loco Victi-

mæ. Immolo me ſuper Altare, ut homagium præſtem Patri meo. Non haberetis Religionem, niſi haberetis Sacrificium. Antiqua jam ſunt abrogata. Solus ego ſum, qui poſſum immolari. Corpus meum eſt in cœlo, ſicut in loco ſuo naturali. Corpus meum eſt in terra, ſicut in loco Sacramentali. Cùm deſcendi in terram, cælum non reliqui. Et cùm rurſus aſcendi in cælum, terram non deſerui.

Diſcipulus.

Loquar adhuc ſemel ad Dominum meum, cùm ſim pulvis & cinis. Cur in terra nobiſcùm ſim pulvis & cinis. Cur in terra nobiſcum manens, non te oculis noſtris ſpectabilem exhibes? Cur te abſcondis ſub ſpeciebus Sacramentalibus, cùm amari à nobis deſideres? Omnium corda ſanctâ amoris violentiâ ad te raperes, ſi te oculis noſtris manifeſtares.

Magiſter.

Ego ſum Deus abſconditus, mori te oportet, ut me videas. Abſcondi Divinitatem meam ſub formâ hominis. Et humanitatem meam texi velamine Panis.

Vita tua eſt ſtatus fidei, in quo Corpus meum debet eſſe obvelatum. Vita tua eſt ſtatus meriti, in quo mens tua debet humiliari. Adam non credidit verbo meo, ſed credidit verbo ſerpentis. Cæca fides reparare debet curioſitatem ejus. Fides conſecrat mentem tuam. Humiliat arrogantiam tuam. Attollit cognitiones tuas. Subjicit te DEO.

Cre-

Credere oportet, ut videas. Fides præcedit gloriam. Et quomodo fidem habebis, si, quod credis, non sit absconditum?

Discipulus.

Loquar adhuc semel ad Dominum meum, cum sim pulvis, & cinis. Absque dubio humanitas tua, ut sit objectum fidei nostræ, æquè debet esse abscondita, ac divinitas tua? sed cur sub forma panis? Num conveniens est status hic Majestati tuæ? Quantus tibi debetur honor? Quis autem condignè honorare te potest, hâc sub figura reconditum?

Magister.

Sapientia mea non esset infinita, nisi esset incomprehensibilis. Non esset admiranda, nisi creatæ intelligentiæ vim longè transcenderet. Sapientia fugit meridianam diei lucem, & se abdit in tenebris. Bonitas fugit tenebras, & vult palam splendescere, Sapientia se abscondit, quia vult suscipi. Bonitas se prodit, quia vult amari. Deus sub forma hominis, est mutatio magis obstupescenda, quàm homo sub specie panis, quàm corpus sub forma alimenti. Nunquid manducabatur Agnus Paschalis? Nunquid manducabatur Manna? Nunquid manducabantur sacri Panes Propositionis? Si manducabantur figuræ, an non etiam veritas debebit manducari? Sacramento tibi opus erat ad nutrimentum animæ tuæ. Cum vita tua sit Divina, opus habe-

bas epulo Divino. Cùm conſtes anima, & corpore, opus habebas anima mea, & corpore meo: Niſi manduces carnem meam, non habebis vitam. Omnes homines illa veſci debent. Neceſſarium ergo erat ejusmodi alimentum, quo omnes homines frui poſſent. Guſtus hominum multùm inter ſe differunt; panis tamen omnibus bene ſapit. Aſſumpſi ſpeciem panis omnibus amabilem. Ut ſine horrore manducarer. Ut penetrarem intima cordis tui. Ut communicarem tibi ſpiritum meum. Ut emundarem corpus tuum. Ut mitigarem concupiſcentiam tuam. Ut ſanarem morbos tuos. Ut communicarem tibi puritatem meam, & dotes meas virgineas. Panis eſt alimentum, quod declarat effectus hujus Sacramenti. Volo, ut omnes uniti ſitis inter vos, & habeatis cor unum, & animam unam, ſicut multa tritici grana unum panem conſtituunt. Cupio vos in me tranſformare. Ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, & ipſe vivet propter me.

Diſcipulus.

O Divine Magiſter! quàm admirabilis eſt ſapientia tua? O quàm verè es Deus abſconditus. O quis Panis! O quale Convivium! O quæ Menſa! O quantum tibi ſum obligatus, quod mecum morari digneris! Quod hanc figuram aſſumpſeris, ut te nobis communicares! Credo, neque cupio intueri, quod credo. Fidelis appellor, & non Philoſophus, rationes ſubtiliter diſcutiens.

Quid

Quid retribuam tibi pro omnibus, quæ retribuisti mihi? Quoniam mecum versaris, commorabor & ego tecum. Quoniam mei amore te humilias, humiliabo me propter te. Quoniam quotidie moreris propter me, moriar & ego quotidie propter te. Quoniam vivere desideras in me, ego quoque semper in te vivam.

MEDITATIO CXXVII.

De Amore JEsu Christi in SS. Eucharistiæ Sacramento.

SAcramentum hoc procedit ex amore. Sacramentum hoc oblectat amorem. Sacramentum hoc generat amorem,

Filius Dei instituit Sacramentum hoc ex amore. Ascendit in cœlum ex Justitia, sed in terra commoratus est ex amore. An homines promeriti fuerant tantam gratiam? Quin imò se penitùs illa reddiderant indignos. An commodum aliquod Christo in hoc Sacramento accedit? heu! gravissimos in illo patitur contemptus. Amor triumphavit de Deo. Coëgit eum in terras descendere. Obligat illum ad commorandum nobiscum. Detinet illum, quasi captivum. Sacramentum hoc procedit ex amore. Est itaque Sacramentum amoris.

Amor tendit ad unitatem. Hæc est finis omnium desideriorum ejus. In sacra Communione obtinet, quidquid exoptat. In hac enim JEsus se unit nobiscum. In hac nos vi-

cissim illi unimur. In hac illo se transformat in nos, & nos transformamur in ipsum. In hac fit ille idem nobiscum, & nos efficimur idem cum illo. Ex alimento, & eo, qui alitur, non fit nisi una persona. Atque hæc est unio intima, quæ amorem mirè oblectat. Hæc est, quæ Eucharistiam efficit Sacramentum amoris.

Cognitio generat amorem. Præsentia nutrit amorem. Affectio inflammat amorem. Beneficia excitant amorem. Anima in sacra Communione conspicit Dilectum suum. Gaudet de ejus præsentia. Agnoscit ejus affectionem. Cumulatur ejus gratiis. Cor potest resistere odio; sed non potest resistere amori. Ibi reperit dilectum suum. Ibi repetit delicias suas. Ibi reperit amorem suum. Est itaque Sacramentum amoris.

Quæ igitur causa est, quòd glaciei instar rigescam? Unde oritur, quod tam exiguus sit amor meus? Cujus complexionis est cor meum? Quomodo se potest defendere contra sacra amoris incendia? Undique circumcingitur amore, & nescit, quid sit amor.

Amor conspiciendum se objicit oculis meis. Amor percipiendum se præbet auribus meis. Amor gustandum se exhibet ori meo. Amor sentiendum sé indulget cordi meo. Amor me vocat. Amor me allicit. Amor me accendit. Amor me oppugnat. Amor mihi blanditur. Amor me obligat. Amor tentat omnia, ut me sibi devincat. Et ego nescio, quid sit amare.

Un-

Unde oritur tanta cordis mei durities, & stupor? Aut quòd amem creaturas. Aut quòd ab illis non sim avulsus. Aut quòd cor habeam divisum. Aut quòd non satìs edomuerim noxias cupiditates.

Anima mea! Erisne semper ingrata? Nec unquam Dilecto tuo cedes cor tuum? Deus, qui semper tecum est. Deus, qui se totum tibi donat. Deus, qui se propter te exinanivit. Deus, qui ope tua non indiget. Deus, qui beatus est absque te. Deus, qui tam ardenter te diligit. Deus, qui summo amore dignus est. Deus, qui tanta in te contulit beneficia, non poterit sibi devincire cor tuum? Non poterit obtinere affectionem tuam?

Ah! non possum ultrà resistere tanto amori! Non possum ultrà eludere sanctos conatus ejus. Nolo ampliùs ex timore à sacra Communione me subtrahere. Quin potius amore impulsus fidenter appropinquabo. Volo, ah! volo me generosè pervincere, quia vivere non possum absque amore. Volo frequenter communicare, quia vivere non possum absque nutrimento.

Verba S. Scripturæ.

Filii Israël dixerunt ad invicem Manhu. Quod significat, quid est hoc? Ignorabant enim, quid esset. Quibus ait Moyses: Iste est Panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendum. Exod. 16. 16.

Hic est Panis, qui de Cœlo descendit, non sicut manducaverunt Patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc Panem, vivet in æternum. Joan. 6. 59.

Quis det de Carnibus ejus, ut saturentur? Job. 31. 31.

Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Joan. 6. v. 57.

Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Joan. 13. 13. v. 2.

MEDITATIO CXXVIII.

De Sacra Communione.

Filiæ Jerusalem, nunciate dilectæ meæ, quia diu noctúque illam expecto, ejúsque amore langueo.

Cælum deserui ut venirem in terram, & cor ejus lucrifacerem. Formam panis assumpsi, ut faciliùs amarer, & sine horrore manducarer. Alimentum factus fui, ut me arctissimè unirem ingratæ huic animæ. Cupio eam nutrire. Cupio eam ditare thesauris gratiarum mearum. Cur illa me contemnit? Cur me fugit?

Filiæ Jerusalem, nunciate dilectæ meæ, quia diu noctúque illam expecto, ejúsque amore langueo.

Ego ſum Panis, & non venenum. Vitam illi cupio elargiri, & non mortem inferre. Ut amarer, hanc formam aſſumpſi, non ut timerer. Ut manducarer, ſub panis forma me recondidi, non ut admirationi eſſem. Ut ſanctificarem corpus ejus, carnem meam illi donavi. Ut vivificarem animam ejus, Spiritum meum illi donavi. Ut eam unirem Divinitati meæ, humanitatem meam illi donavi.

Sapientiſſimus cùm ſim, non ſcio, quid præſtantius, illi poſſim donare. Opulentiſſimus cum ſim, non habeo, quod excellentius illi poſſim donare. Potentiſſimus cum ſim, non poſſum illi nobilius quid donare. Cur ergo me fugit? Cur ergo me timet?

Filiæ Jeruſalem, nunciate Dilectæ meæ, quia diu noctúque illam exſpecto, ejúſque amore langueo.

Ut convivium hoc illi pararem, ſumptus profudi infinitos. Nullis impenſis peperci, ut deſideria illius plenè ſatiarem. Corpus meum illi propono manducandum. Sanguinem meum illi offero bibendum. Cumulo illam gratiis meis. Dito illam meritis meis. Repleo illam virtutibus meis.

Omnes homines invito ad Convivium meum. Ægros, ut ſanentur. Debiles, ut roborentur. Cæcos, ut illuminentur. Triſtes, ut ſolatiis recreentur. Peccatores, ut ſanctificentur. Quæ ergo eſt cauſa timendi? Non expoſco finem hujus Sacramenti, velut medium neceſſarium ad hoc Sacramentum.

Filiæ Jeruſalem, nunciate Dilectæ meæ, quia diu noctúque illam exſpecto, ejusque amore langueo.

Nunciate illi, quòd fame ſit peritura, niſi Panem hunc manducaverit. Quòd gratiarum donis ſit deſtituenda, niſi Convivio meo accubuerit. Quòd non ſit habitura robur. Quòd non ſit habitura ſanitatem. Quòd non ſit habitura vitam. Quod non ſit habitura ſolatium. Quod vehementer ſit tentanda. Quod tentationi ſit ſuccubitura. Quod, ſi recuſaverit venire, epulas meas non ſit deguſtatura, nec in vita, nec in morte. Nec in cœlo, nec in terra. Quod in illius locum advocaturus ſim cæcos, & claudos. Quod contemnat me, cùm venerari me deberet. Quod affligat me, cùm ſolari me deberet. Quod offendat me, cùm deberet me oblectare.

O Panis Angelorum, qui de cœlo deſcendiſti! Audebóne ſuſcipere te intra cor meum? Poſſúmne te recipere, probè intelligens, quis ſim ego? Poſſúmne te rejicere, probè intelligens, quis ſis tu? Poſſúmne huic Convivio appropinquare, conſcius ſanctitatis tuæ? poſſúmne inde recedere, conſcius neceſſitatis meæ?

O divine Amator! qui nos invitas ad nuptias tuas, & qui nos tam amanter invites. Indue veſte nuptiali me prodigum pœnitentem. Non equidem mereor hunc honorem. Indignus ſum hâc gratiâ: at agnitio humilitatis meæ ſupplebit defectum ſanctitatis meæ. Tu ita vis. Tu ita deſideras. Tu hoc imperas. Tu hoc præcipis. Comminaris mihi

iram tuam, si nolim te recipere, Satiùs est, amori obsequi, quàm timori. Præstat obedire invitanti, quàm sibi plùs æquo diffidere. Accedam ergo cum reverentia. Recipiam te cum fiducia. Amplectar te cum amore. Manducabo te cum lætitia. Gratias tibi agam cum temeritudine. Loquar tibi cum libertate. Serviam tibi cum fidelitate. Benedicam te in tempore, & æternitate. Amen.

Verba S. Scripturæ.

Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Luc. 22. 15.

Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Joan. 6. 57.

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos, & cœperunt simul omnes excusare. Luc. 14. 16.

Dico vobis, quòd nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam. Luc. 14. 24.

Pauperes ac debiles, & cæcos & claudos introduc huc. Compelle intrare. Luc. 14. 21.

MEDI

MEDITATIO CXXIX.

Oratio ad Dominum noſtrum JEſum Chriſtum.

Quæ poteſt uſui eſſe pro Gratiarum Actione poſt ſacram Communionem.

ANima JEſu ſanctifica me. Sanguis JEſu lava me. Paſſio JEſu conforta me. Vulnera JEſu ſanate me. Cor JEſu recipe me. Spiritus JEſu anima me. Bonitas JEſu reconcilia me. Pulchritudo JEſu attrahe me. Humilitas JEſu deprime me. Manſuetudo JEſu mitiga me. Pax JEſu pacifica me. Amor JEſu inflamma me. Regnum JEſu veni in me. Gratia JEſu reple me. Miſericordia JEſu ſalva me. Sanctitas JEſu conſecra me, Puritas JEſu emunda me. Crux JEſu ſuſtenta me. Clavi JEſu configite me. Spinæ JEſu coronate me. Fel JEſu inebria me. Os JEſu benedic me, in vita & in morte, in tempore, & in æternitate, Amen.

Oportet cuilibet Verſui inhærere, & ſuavius expendere illum, quo magis animus ad pios affectus commovetur.

MEDITATIO CXXX.

De Devotione erga S. Virg. Mariam.

UT ſis filius Dei, oportet te eſſe filium Mariæ. Hæc eſt Mater omnium juſtorum. Hæc eſt Advocata omnium peccatorum. Hæc eſt Regina omnium Prædeſtinatorum. Hæc illos genuit in monte Calvariæ. Dati ſunt ipſi in filios ad pedem crucis. Ipſa vitam dedit omnibus hominibus, dando vitam Deo homini. Ipſa cooperata eſt in ſalutem omnium, conſecrando illum Patri ſuo.

Nemo poteſt accedere ad Patrem, niſi per Filium. Nemo poteſt accedere ad Filium, niſi per Matrem. Pater nihil denegat Filio ſuo. Filius nihil denegat Matri ſuæ. Non ſalvabor, niſi per merita Filii. Non ſalvabor, niſi per interceſſionem Matris. Filius eſt Mediator noſter apud Patrem. Mater eſt Mediatrix noſtra apud Filium.

JEſus eſt Caput Eccleſiæ, Maria eſt Collum. JEſus eſt fons gratiarum, Maria eſt concha. JEſus eſt ſol mundi. Maria eſt luna. Nihil producitur in operibus naturæ, niſi per Solem, & Lunam. Nihil producitur in operibus gratiæ, niſi per JEſum & Mariam. Luna recipit omnia à Sole, & concurrit ad generationem rerum. Maria recipit omnia à JEſu, & confert ad ſanctificationem animarum.

O ſancta Mater Dei! Nunc demum incipio reſpirare, quoniam à te dependet ſalus mea. Filius tuus eſt Salvator meus; ſed idem pariter eſt Judex meus. Bonitas ejus animat me? ſed Juſtitia ejus terret me. Sum equidem multoru criminum reus, nec audeo coram ipſo comparere. At tu, chariſſima Mater mea, nil habes, quod timorem mihi incutiat. Tu es Mater Gratiæ, & non Juſtitiæ. Ideo effecta es Mater, ut gigneres nobis Salvatorem. Mater Dei non eſſes, ſi nulli fuiſſent peccatores. O Mater! volo eſſe filius tuus, ut ſim filius Dei. Volo eſſe ſervus tuus, ut ſim ſervus Dei.

Verba S. Scripturæ.

Dicit Matri ſuæ: Mulier ecce Filius tuus: deinde dicit Diſcipulo: Ecce Mater tua. Joan. 19. 26. & 27.

Ex illa hora accepit eam Diſcipulus in ſua. Joan. 19. 27.

In Jacob inhabita, & in Iſraël hæreditare, & in electis meis mitte radices. Eccli. 24. 13.

Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino.. Prov. 8. 35.

MEDITATIO CXXXI.

De Conceptione Immaculata B. V. MARIÆ.

FElix eſt Maria, quòd concepta fuerit ſine peccato. Felicior eſt Maria, quòd nullum unquam peccatum commiſerit. Magna noſtra

ſtra eſt infelicitas, quod contraxerimus culpam originalem. Sed longè major eſt noſtra infelicitas, quod commiſerimus peccata actualia.

Maria licèt nunquam peccaverit, multa tamen adverſa ſuſtinuit. Ego indeſinenter pecco, & tamen vel minimum quid pati recuſo. Maria erat inſons, & tamen tractata fuit, ut rea. Ego ſum multorum criminum reus, & cupio tractari ut inſons.

Prima gratia Mariæ eſt fundamentum felicitatis ejus. Cooperata fuit gratiæ fidelitate inviolabili toto vitæ ſuæ curſu. Sunt quædam gratiæ in hac vita à Deo nobis communicatæ, quæ ſunt principium omnis felicitatis noſtræ. Sunt quædam peccata in hac vita, quæ ſunt principium omnis infelicitatis noſtræ.

Cooperare omnibus gratiis. Evita omnia peccata. Magnopere cave illa, quæ aliis eſſe poſſunt offendiculo. Hæc ſunt peccata peſtifera, quæ ſe diffundunt in alios. Hæc ſunt peccata contagioſa, quæ corrumpunt naturam.

O ſancta Mater Dei! quàm pulchra es, quàm pura es! Et macula non eſt in te. Conceptio mea, cùm non ſit Immaculata, effice, ut vita mea ſit immaculata. Si contraxi peccatum originale, fac, ut evitem peccatum actuale. O utinam Filius tuus in morte mea intuens animam meam, dicere poſſet. Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te!

Verba S. Scripturæ.

Generationem ejus, qui enarrabit? Is. 53. 8.

Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Cant. 4. 7.

Dominus possedit me in initio viarum suarum. Prov. 8. 22.

Opus grande est: neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo. 2. Paral. 29. 1.

Domum tuam decet sanctitudo, Domine in longitudinem dierum. Psalm. 92. 5.

MEDITATIO CXXXII.

De Purificatione B. V. Mariæ.

MAria est Mater Dei, & tamen videri vult esse tantùm Mater hominis. Quanta humilitas! Maria est splendida instar solis, & tamen ut purificaretur, venit in templum. Quanta puritas! Maria non est subjecta legi, & tamen sponte se illi submittit. Quanta obedientia! Maria non habet nisi unicum Filium, eúmque sibi charissimum, & hunc sacrificat Deo in templo. Quanta charitas!

Imitare has Mariæ virtutes. Esto humilis corde, sicut illa. Esto purus corpore, & anima, sicut illa. Esto promptè obediens sicut illa. Esto liberalis, sicut illa. Offer Deo, quidquid habes charissimum. Sacrifica illi partus tuos, cogitationes tuas, desideria tua, om-

omnia opera tua. Dona illi cor tuum, cor unicum, cor primogenitum.

Vade in templum, ſicut Simeon. Recipe JEſum non intra brachia tua, ſed intra cor tuum ex manibus Sacerdotis. Cane cum illo hoc amoris Canticum: Nunc dimittis ſervum tuum Domine, ſecundùm verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, quod paraſti ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſraël.

In pace vives, ſi non deſideres, niſi JEſum. In pace morieris, ſi non ames, niſi JEſum. Ora Mariam, ut te ſuſcipiat intra brachia ſua, & te offerat Filio ſuo in fine vitæ tuæ.

Præſtabit illa tibi maternum hoc obſequium. Si contendas eſſe Filius ejus. Si ſis humilis, ſicut illa. Si ſis caſtus, ſicut illa. Si ardeas charitate, ſicut illa.

O Mater Dei! ne dedignare eſſe Mater miſeri peccatoris. In manus tuas commendo animam meam. Eſt illa pretium ſanguinis Filii tui, poteríſne eam deſpicere? Poteríſne illam reſpuere? Quoniam Deo præſentaſti Caput, debes illi etiam præſentare membra, quæ nos ſumus. Deus non poteſt recuſare donum, quod tu illi offers. Salus mea in tuto eſt, ſi concredita ſit manibus tuis.

O JEſu! Commendo tibi Spiritum meum. Salutem meam manibus tuis committo. Dimitte me ex hoc mundo in pace. Vidi enim omnia, quæ mihi erant videnda. Peccata mea perturbant me. Sed bonitas tua animat me. O Domine! Ecce ego ſervus tuus, & filius

ancillæ tuæ? Poterísne damnare filium Matris tuæ? Poterísne odio persequi illum, quem ipsa amavit?

Verba S. Scripturæ.

Tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino. Luc. 2. 22.

Tolle Filium tuum unigenitum, quem diligis Isaac, atque ibi offeres eum in holocaustum. Gen. 22. 2.

In simplicitate cordis mei lætus obtuli universa. 1. Paral. 29. 17.

Nunc dimittis servum tuum Domine. Luc 2. 29.

O Domine! quia ego servus tuus, & filius Ancillæ tuæ. Ps. 115. 16.

MEDITATIO CXXXIII.

De Annuntiatione B. V. MARIÆ.

MAgna sanè virtus est, parvum esse in Majestate. Rara omnino virtus est, humilem esse inter honores. Maria est Mater Dei, quia fuit ejus Ancilla. Maria Ancillam Domini se vocat, cùm ab Angelo Mater Dei salutatur.

Quàm beata est, quòd conceperit. Verbum Divinum in Corpore suo! sed multò beatior est, quòd Verbum conceperit in mente sua. Ipsa per Gratiam concepit Divinum Verbum, antequam illud conciperet per Natu-

turam. Concepit illud in corde ſuo, antequam illud conciperet in utero ſuo. Conceptio Dei ſpiritualis magìs honorifica illi fuit, quàm corporalis. Hac enim effecit Matrem Dei, illa effecit dignam Matrem Dei.

Eſto Mater Domini noſtri, faciendo voluntatem Patris ejus. Concipe illum per fidem. Genera illum per charitatem. Eſto frater ejus, credendo in illum. Eſto Mater illius, prædicando illum. Renova in ſacra Communione Myſterium Incarnationis. Sis humilis, & obediens, ſicut fuit MARIA; & Spiritus ſanctus in te deſcendet. Eſto ancilla Domini, & efficeris Mater ejus.

O digniſſima Mater Dei! Ne, quæſo, dedignare in filium adoptare, quem Filius tuus dignatus eſt in fratrem adoptare. Quoniam Dei Mater es, oportet, ut pariter ſis Mater hominum. Ut eſſes Mater hominum, facta es Mater Dei. Duo ubera habes lacte plena. Unum præbe filio tuo; ſed alterum mihi reſerva. Unum porrige juſtis; ſed alterum peccatoribus reſerva.

Verba S. Scripturæ.

Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum Vercum tuum. Luc. 1. 38.

Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt. Matth. 12. 50.

Non confunditur, fratres eos vocare. Hebr. 2. 11.

Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Luc. 1. v. 35.

MEDITATIO CXXXIV.

De Humiliatione Filii Dei & Exaltatione MARIÆ, in Myſterio Incarnationis.

JEſus ex Deo factus eſt homo. Ex Domino factus eſt ſervus. Ex omnipotente factus eſt infirmus. Ex divite factus eſt pauper. JEſus homo factus, fecit Mariam Matrem DEI. JEſus formam ſervi accipiens, fecit Mariam Dominam DEI. JEſus infirmitatem noſtram aſſumens, dedit Mariæ potentiam DEI. JEſus egeſtatem paſſus, commiſit Mariæ Theſauros DEI. JESUS profundiùs ſe demittere non potuit, quàm ſe demiſerit. Maria altiùs aſcendere non potuit, quàm aſcenderit. Nihil eſt, quod ſit ſupra JEſum. Nihil eſt, niſi DEUS, quod ſit ſupra Mariam. Quidquid DEUS non eſt, eſt infra JEſum. Quidquid DEUS non eſt, eſt infra Mariam.

Gratulare illi de tantis excellentiis. Elige illam in Matrem tuam. Revertere ad illam, ut Reginam tuam. Invoca illam, ut Advocatam tuam. Obedi illi, cui Deus obedivit. Honora illam, quam Deus honoravit. Famulare illi, cui DEus eſt famulatus. Ama illam, quam DEus amavit. Saluta illam, quam Angelus ſalutavit. Dic illi frequenter corde & ore.

Ave Gratia plena, participes nos effice plenitudinis tuæ.

Dominus tecum, ut Pater, ut Filius, ut Sponſus.

Benedicta tu in Mulieribus, Benedictionibus infinitis. Tu ſola es Virgo & Mater. Tu ſola concepta es ſine crimine. Tu ſola vixiſti ſine peccato. Tu ſola mortua es ſine dolore. Nemo eſt, niſi tu, quæ habeat Deum pro filio & ſubdito. Nemo eſt, niſi tu, quæ ſit filia Dei, Mater Dei, & Sponſa Dei. Tu es Reparatrix mundi. Tu es Regina Univerſi. Tu es Porta Paradiſi. Tu es diſpenſatrix gratiarum.

Maria ſanctiſſima & digniſſima Mater Dei! Ora pro Juſtis & peccatoribus, nunc, cùm eos vides tantis oppugnatos tentationibus, mancipatos tot vitiis, tantis oppreſſos miſeriis. Sed præcipuè in hora mortis, ubi ſalus illorum verſabitur in majori periculo, & maternum tuum auxilium ſummè illis erit neceſſarium.

Verba S. Scripturæ.

Verbum Caro factum eſt. Joan. 1. 14.

Scitis gratiam Domini noſtri JEſu Chriſti, quoniam propter nos egenus factus eſt, cum eſſet dives, ut illius inopia vos divites eſſetis. 2. Cor. 8. 9.

Exinanivit ſemetipſum formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Phil. 2. 7.

Erat ſubditus illis. Luc. 2. 51.

Beatam me dicent omnes Generationes. Luc. 1. 48.

MEDITATIO CXXXV.

De Visitatione B. V. Mariæ.

JESUS visitat sanctum Joannem. Maria visitat sanctam Elisabetham. JEsus sanctificat Matrem & Filium; sed per os Mariæ. Quæ ubi primùm locuta est, Joannes Baptista fuit sanctificatus. Vox Mariæ fuit canalis gratiæ. Quæ illuminat cæcum. Liberat captivum. Resuscitat mortuum. Justificat peccatorem.

Maria Majori inter filios hominum, applicat primum fructum nostræ Redemptionis. Concipit spiritualiter hominem, postquam Deum concepit corporaliter. Facta est Mater hominum, postquam facta est Mater Dei. Ipsa est Mater Gratiæ. Ipsa est Mater Misericordiæ. Gratiæ pro Justis. Misericordiæ pro peccatoribus.

O Maria Mater gratiæ! O Mater misericordiæ! Visita nos frequenter cum Filio tuo. Non deest tibi gratia, quia fuisti gratiâ plena. Non deest tibi misericordia, quæ novem mensibus intra viscera tua fuit commorata. Exerce illam erga pauperem cæcum. Erga pauperem captivum. Erga peccatorem, mancipium suarum cupiditatum. Erga defunctum vitâ gratiæ. Veni, ut me illumines. Ut me libares. Ut me resuscites. Ut me sanctifices.

Sonet

Sonet vox tua in auribus cordis mei. Vox enim tua dulcis, & pulchritudo tua incomparabilis. Loquere Mater, & exultabit præ gaudio cor meum. Dic Verbum, & sanabitur anima mea. Tu enim habes intra te Verbum Dei, quod dat vitam mundo.

Maria Mater Gratiæ, Mater Misericordiæ, Tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe.

Ut honores Virginem, oportet imitari virtutes ejus. Ama solitudinem, sicut illa. Non prodi in publicum: nisi ut beneficia elargiaris. Visita carcere conclusos. Assiste miseris. Libera captivos. Sanctifica peccatores. Esto Mater Gratiæ animabus afflictis. Esto Mater Misericordiæ corporibus afflictis.

Verba S. Scripturæ.

Benedictus Dominus Deus Israël, quia visitavit. Luc. 1. 68.

Per viscera Misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos Oriens ex alto. Luc. 1. 78.

Visita nos in salutari tuo. Psal. 105. 4.

Visitatio tua custodivit spiritum meum. Job. 10. 12.

Ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, repleta est Spiritu sancto. Luc. 1. 41.

Surge, propera amica mea, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Cant. 2. 10. & 14.

MEDTATIO CXXXVI.

De Morte B. V. MARIÆ.

QUid eſt, quod amarum efficit calicem mortis? Amiſſio mundi. Separatio à corpore. Ratio ſupremo Judici reddenda. Sentitur triſtitia, cùm mundus eſt deſerendus. Sentitur dolor, cùm corpus eſt relinquendum. Sentitur timor, cùm comparendum eſt coram Deo Judice.

Maria mortua eſt ſine timore. Mortua eſt ſine triſtitia. Mortua eſt ſine dolore. Mortua eſt ſine timore, quia vixit ſine peccato. Mortua eſt ſine triſtitia, qui vixit ſine adhæſione ad creaturas. Mortua eſt ſine dolore, quia vixit ſine delectatione.

O utinam moriatur anima mea morte Sanctorum! O utinam mors mea ſit ſimilis morti Mariæ! Vive vitâ Sanctorum, & morieris morte Sanctorum. Vive ſicut Maria, & morieris ſicut Maria. Vive ſine peccato, & morieris ſine timore. Vive ſine adhæſione ad creaturas, & morieris ſine triſtitia. Vive ſine delectatione, & morieris ſine dolore.

Si vivas vitâ peccatorum, morieris morte peccatorum. Si vivas in perturbatione, morieris in confuſione. Si vivas in peccato, morieris cum timore. Si vivas in deliciis, morieris cum dolore. Quod voluptatem tibi affert in vita, ſupplicium tibi erit in morte. Quod dolorem tibi infert in vita, ſolatio tibi erit in morte.

O Vir-

O Virgo ſancta! non ſum ſolicitus, qua morte moriar, dummodo moriar in bono ſtatu. Moriar ſine timore, ſi moriar intra brachia tua. Moriar in gratia, ſi moriar in tuo obſequio. Tu enim ſalves omnes tuis obſequiis mancipatos. Non ſinis unquam perire filios tuos. Aſſiſto quæſo, mihi morienti, ſicut adſtitiſti Chriſto Filio tuo in cruce morienti. Neceſſe eſt, ut omnes prædeſtinati moriantur intra brachia tua, quoniam tu vidiſti morientem Primipilum prædeſtinatorum.

Volo mentem à mundo avellere, ut moriar ſine triſtitia. Volo affligere corpus meum, ut moriar ſine dolore. Volo abſtinere à peccato, ut moriar ſine timore. Volo vivere in dolore, ut moriar cum delectatione. Volo vivere in pœnitentia, ut moriar cum ſecuritate. Volo vivere in charitate, ut moriar in ſanctitate. Volo vivere Filius Virginis, ut moriar prædeſtinatus. Volo vivere in gratia, ut moriar in gratia. Volo vivere in amore, ut moriar ex amore.

Verba S. Scripturæ.

Adjuro vos Filiæ Jeruſalem, ſi inveneritis Dilectum meum, ut nuncietis ei, quia amore langueo. Cant. 5. 8.

Fortis eſt, ut mors, dilectio. Cant. 8. 6.

Moriatur anima mea morte Juſtorum. Num. 23. 10.

Mors peccatorum peſſima. Pſalm, 33. 22.

Ridebit in die noviſſimo. Prov. 31. 25.

In manus tuas commendo Spiritum meum. Luc. 23. 46.

MEDITATIO CXXXVII.

De B. V. MARIA à Morte resuscitata.

MARIA resuscitata est à morte, corpus ejus non jacet ampliùs in sepulchro. Caro tam munda, debebat eximi à corruptione. Templum tam sanctum non debebat profanari.

MARIA est castissima Virginum. Debebat ergo esse incorruptibilis. Maria est excellentissima inter Matres. Debebat ergo vivere cum Filio suo. Si corpus JEsu per sacram Communionem susceptum jus tribuit ad resurrectionem, an non resuscitari debebat illa, quæ Christo dedit carnem suam? Si servi sunt cum Domino suo, an non Matrem decet esse cum Filio suo? Si gratia hæc concessa est servis, quis eam Reginæ audebit negare? Si corpus ejus non fuit resuscitatum, cur illud latet mundo absconditum? Cur non palàm honoratur? Quisque metet, quod seminavit Qui seminant in carne, metent corruptionem. Qui seminant in spiritu, metent incorruptionem.

MARIA terræ fuit mandata, in qua tamen non potuit diu morari. Caro ejus concluserat intra se germen vitæ, quod facit eam revivíscere, & resuscitari, Fuit sepulta, ut imitaretur Filium suum. Ut inviserat Purgatorium. Ut sanctificaret terram nostram. Ut certò constaret de morte ejus. Ad vitam ve-

verò redire debuit, ut teſtatam faceret reſurrectinnem noſtram. Cælum inſigni careret ornamento, ſi Corpus Mariæ non fuiſſet eò translatum.

O glorioſa Domina mea! Abſit à me ut cogitem, quòd Corpus tuum ſanctiſſimum fuerit putredine corruptum, aut vermibus in pabulum ceſſerit. Quòd Caro tua immaculata non fuerit reſuſcitata. Quòd fueris mortis mancipium, quæ deſtruxiſti mortis imperium. Oportebat reſuſcitari virum, ad confirmandam reſurrectionem Virorum. Oportebat ergo pariter reſuſcitari Mulierem, ad confirmandam reſurrectionem Mulierum.

O quàm amabilis eſt illibata vitæ integritas! O quàm deteſtabilis eſt inquinata morum corruptio. Cur tam exquiſitè ſaginando corpus tuum, vermibus pinguius nutrimentum præparas? Cur adornas carnem, paulò pòſt à ſerpentibus devorandam?

Niſi victima ſit ſale conſperſa, computreſcet. Niſi caro affligatur voluntaria caſtigatione, corrumpetur.

Verba S. Scripturæ.

Non derelinques animam meam in inferno: nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Pſal. 15. 10.

Ego dormivi, & ſoporatus ſum: & exſurrexi, quia Dominus ſuſcepit me. Pſal. 3. 6.

Pater, quos dediſti mihi, volo, ut ubi ego ſum, & illi ſint mecum. Joan. 17. 24.

Qui

Qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem : qui autem seminat in spiritu : de spiritu metet vitam æternam. Gal. 6. v. 8.

Veni de Libano Sponsa mea, veni coronaberis. Cant. 4. 8.

MEDITATIO CXXXVIII.

De Assumptione B. V. Mariæ.

QUæ est ista, quæ ascendit in cœlum, innixa super dilectum suum? Hæc est Maria Mater DEI. Quæ sicut purior est omnibus creaturis, ita exaltari debuit super omnes cœlos. Sicut profundissimè se demiserat, ita debuit in thronum sublimissimum elevari. Sicut præ aliis plures receperat gratias, ita debuit plus gloriæ recipere. Sicut proximè Deum attigerat in terris, ita proximè debuit illi conjungi in cœlis. Sicut passa fuerat sine mensura, ita deliciis cumulari debuit sine mensura.

Divinus Salomon Matrem suam locavit in throno suo. Sociam eam sibi adlegit Imperii sui. Constituit eam Reginam universi. Subjecit illi omnes creaturas. Pater coronavit eam potentiâ. Filius coronavit eam sapientiâ. Spiritus sanctus eam coronavit sanctitate.

JEsus est Mediator noster apud Patrem. Maria est Mediatrix nostra apud Filium. JEsus mitigat iram Patris sui. Maria mitigat iram

iram Filii sui. JEsus Patri suo exhibet vulnera sua. Maria Filio suo exhibet ubera sua. Quis jam desperet de salute sua, cùm tam potentes habeat apud Deum Intercessores?

Maria diligit peccatores, quia Filius ejus illos diligit. Maria diligit peccatores, quos ut redimeret Dei Filius, in mundum venit, factus Filius Mariæ. Maria diligit peccatores, quia sunt miserabiles. Maria diligit peccatores, quia sine his non esset Mater DEI. Maria diligit peccatores, quia propter illos facta est Mater DEI.

Ascende, sanctissima Mater mea! Ascende, ut colligas fructus laborum tuorum. Ascende arca Domini, ut requiescas in templo gloriæ. Ibi paratus tibi jam thronus est. Ibi coronaberis à sanctissima Trinitate. O quanto defigor stupore! cùm te video in cœlum extolli, tanta cum pompa, tanta cum magnificentia. Angeli Paradisi aperite portas Matri DEI. Occurrite Reginæ vestræ. Omni veneratione eam colite. Atque ad Thronum usque Filii ejus læti illam deducite.

O Regina Cœli & terræ! O Mater Gratiæ, & Misericordiæ! vita mea, & spes mea post DEum! Saluto te, & veneror te in throno Gloriæ, ad quem Deus te extulit. Video te jam in portu, dum nos etiamnum jactamur procellis. Video te jam in patria, dum nos adhuc gemimus in hoc exilio. Video te jam in securitate, dum nos etiamnum variis agitamur periculis, O chara Mater nostra! O potentissima Advocata nostra! illos tuos misericordes oculos ad nos converte miseros filio

lios tuos, qui plorant, & gemunt in hac lachrymarum valle. Curam habe salutis nostræ, & gratiam nobis impetra, intuendi post hoc exilium dilectum Filium tuum in cœlo, Amen.

Verba S. Scripturæ.

Veni de Libano, veni coronaberis. Cant. 4. 8.

Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super Dilectum suum? Cant. 8. 5.

Signum magnum apparuit in cœlo: Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim. Apoc. 12. 1.

Ingressa est Regina Saba Jerusalem cum divitiis, aromatibus, & auro infinito nimis. 3. Reg. 10. & 2. Par. 9.

Positus est thronus Matri Regis, quæ sedit ad dextram ejus, & dixit ei Rex: Pete Mater mea: neque enim fas est, ut avertam faciem meam. 3. Reg. 2. 19. & 20.

MEDITATIO CXXXIX.

De Nativitate B. Virginis, & Nomine MARIÆ.

NAtivitas Mariæ est opus supra naturam, sed in maximum bonum naturæ. Ob nobilitatem est honoranda. Ob beneficia est desi-

desideranda. Ob pulchritudinem est amanda.

Nomen Mariæ, quod illi datum est, recreat Angelos, consolatur homines, exterret dæmones. Post Nomen JEsu nullum dulcius est quàm Nomen Mariæ. Nullum potentius quàm Nomen Mariæ.

Qui Mariam nominat, Dominam potentem dicit, & Mare amaritudinis. Domina est, quia fuit ancilla. Mare consolationis est, quia fuit Mare amaritudinis. Si imperare desideres, obedire te oportet. Si solatia expetas, pati te oportet.

O sanctissima Virgo! Exopto bibere calicem afflictionis tuæ, ut merear frui calice consolationis tuæ. Obedire sicut tu, ut merear aliquando tecum regnare.

O Regina ter maxima! Gaudeo de Nativitate tua, veluti de principio vitæ & salutis meæ. Saluto te in cunis tuis, velut in throno gratiæ, & innocentiæ. Tu non ingressa es hunc mundum peccati vinculis constat, sicut nos. Sol te conspexit coronatam, ubi primùm es nata. Nos autem vidit omnes damnatos, etiam antequam essemus nati.

O Regina Cæli, & terræ! eligo te in Dominam meam, in Matrem meam, & in Advocatam meam. Serviam tibi, ut Dominæ meæ. Amabo te, ut Matrem meam. Invocabo te, ut Advocatam meam. O sancta Domina mea! Suscipe me in protectionem tuam. O sancta Mater mea! Da mihi benedictionem tuam. O sancta Advocata mea! Adjuva me intercessione tua.

Verba

Verba S. Scripturæ.

Tu Gloria Jerusalem, tu lætitia Israël, tu honorificentia populi nostri. Judith. 15. 10.

Quæ est ista, quæ progreditur, quasi Aurora consurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis, ut castrorum acies ordinata? Cant. 6. 9.

Dominare nostri tu, & Filius tuus. Judic. 8. 22.

Iste consolabitur nos ab operibus & laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus. Gen. 5. 29.

MEDITATIO CXL.

De Præsentatione B. V. MARIÆ in Templo.

MARIA obtulit DEO, quidquid habuit. Obtulit se DEO, quamprimùm potuit. Obtulit se Deo plena voluntate. Obtulit se Deo in perpetuum. Obtulit se Deo promissione irrevocabili.

Nos Deo non donamus, nisi dimidium cordis nostri. Nos cor nostrum Deo tradimus, quàm tardissimè. Nos Deo cor tradimus inviti. Nos Deo cor donamus pro aliquo solùm tempore.

Dona te totum, & omnia tua. Dona quàm citissimè. Dona hilariter. Dona in perpetuum.

O ſancta Virgo! Dono me totum tibi absque ulla imitatione. Dono me tibi ex toto corde meo. Doleo, quòd tam ſerò me tibi donaverim. Dono me tibi in perpetuum, donatione irrevocabili.

Offer, obſecro, cor meum Filio tuo. Dono id illi ex integro. Dono id illi ſine ullâ morâ. Dono id illi ſine repugnantia. Dono id illi absque omni revocatione. Dono id illi in perpetuum, donatione æternâ.

Verba S. Scripturæ.

Bonum eſt viro, cùm portaverit jugum ab adoleſcentiâ ſuâ. Sedebit Solitarius & tacebit: quia levavit ſuper ſe. Thren. 3. 28. & 29.

Cùm non inveniſſet, ubi requieſceret pes ejus, reverſa eſt ad eum in arcem. Gen. 8 9.

In ſimplicitate cordis mei lætus obtuli univerſa. 1. Paral. 29. 17.

Ananias cum Saphira uxore ſua vendidit agrum, & afferens partem quandam ad pedes Apoſtolorum poſuit. Act. 5. 12.

Anania! cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te ſpiritui ſancto, & fraudare de pretio agri? Act. 5. 3.

Diviſum eſt cor eorum, nunc interibunt. Oſeæ. 10. 2.

Profeſſio Obſequii noſtri erga Beatiſſimam Virginem Mariam.

SAnctiſſima Virgo digniſſima Mater DEI ego, licet undecunque indigniſſimus, ut accenſear numero ſervorum, ac filiorum tuorum, fretus tamen bonitate, & miſericordiâ tua, & impulſus tibi ſerviendi deſiderio, profiteor in præſentia DEI, & curiæ Cœleſtis univerſæ, quòd te hodie eligam in Reginam meam, Matrem meam, & Advocatam meam. Firmitérque ſtatuo ac propono, me nunquam te derelicturum, neque facturum aut dicturum quidquam contra tuum honorem, neque permiſſurum, ut à meis ſubditis aliquid contra tuum honorem unquam agatur. Obſecro te igitur, ſuſcipe me in numerum ſervorum, & filiorum tuorum. Adſis mihi, quæſo, in omnibus actionibus, & neceſſitatibus meis, nec me deſeras in horâ mortis meæ, Amen.

QUARTA PARS MEDITATIONUM.

PRO VIA UNITIVA.

MEDITATIO CXLI.

De Amore JESU.

JESUS est pulcherrimus inter omnes homines. Maximus inter omnes Reges. Amantissimus inter omnes Patres. Fidelissimus inter omnes amicos. Mitissimus inter omnes Dominos. Perfectissimus inter omnes Sponsos.

JESUS factus est homo propter me, & sicut ego. Factus est pauper proter me, & sicut ego. Factus est miserabilis propter me, & sicut ego. Sustinuit mortem propter me, & sicut ego.

JESUS est Pater meus, & Rex meus. Est Frater meus, & Sponsus meus. Est Dominus meus & Pastor meus. Est Caput meum, & Medicus meus. Est Salus mea, & Redemptio mea. Est spes mea, & Consolatio mea.

JEſus amat me ex toto corde ſuo. Semper ſtat, & pulſat ad oſtium cordis mei. Rogat à me ſibi donari cor meum. Vitam ſuam mihi donavit, ut obtineret cor meum. Ingratus ſum, ſi denegem ei cor meum. Væ illi, qui cor ſuum cum alio dividit! Maledictus, qui JESUM non amat ex toto corde ſuo!

O Amor omnium Amorum! O Cor omnium cordium! Utinam te amem, ſicut tu me amas! Utinam te amem, ſicut mereris amari! Nihil ſupra JEſum. Nihil comparabile JEſu. Nihil cum JEſu. Nihil poſt JEſum.

Verba S. Scripturæ.

Specioſus forma præ Filiis hominum. Pſal. 44. 3.

Omnia, & in omnibus Chriſtus. Col. 3. 11.

Simon Joannis, diligis me plus his? Joan. 21. 15.

Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me. Joan. 14. 21.

Si quis non amat Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, ſit anathema. 1. Cor. 16. 22.

MEDITATIO CXLII.

De unitate Amoris.

AMor ortum trahit ab unitate. Amor tendit ad unitatem. Amor quieſcit in unitate. Amor ſe conſervat per unitatem.

Cor

Cor rectum non potest curvari. Cor mundum non potest maculari. Cor liberum non potest in servitutem redigi. Cor simplex non potest dividi. Væ illis, qui sunt duplici corde! Cor Dei illos non posset amare.

Nemo frui potest gemino Paradiso. Nemo potest duobus Dominis servire. Nemo potest conjungi duobus sponsis. Non potest simul amari Deus, & mundus. Non convenit nisi una anima, uni corpori. Unus Sol universo. Unus Rex uni Provinciæ. Unus Gubernator uni Civitati. Unus Pastor uni gregi. Unus Navarchus uni navigio. Unus amor uni cordi. Unus Deus uni creaturæ.

Dono, inquis, Deo dimidium cordis mei. Ergóne Deus creavit tantùm dimidium cordis tui? Ergóne Deus redemit tantùm dimidium cordis tui? Ergóne Deus salvabit tantùm dimidum cordis tui? Ergóne Deus tibi donavit tantùm dimidium cordis sui? Cur ergo tu illi donabis tantùm dimidium cordis tui? Ergóne Deus dignus non sit tantillo munere, quale est cor integrum hominis?

O DEus cordis mei! Tu semper fuisti meus. Et ego nunquam tuus. Tot adoravi idola, quot amavi creaturas. Divisi fidem meam, cùm divisi charitatem meam. Perdidi & fidem, & charitatem, cùm illas divisi. Heu! meipsum perdidi, quando te non amavi!

Amabo te deinceps, mi Deus, ex toto corde meo. Non dividam deinceps unquam affectiones meas. Totum toti. Unum uni. Solum soli. Ecce epigraphen cordis mei. O

Deus meus, & omnia! Quoniam donâsti mihi cor tuum, quod est tam immensum, æquissimum sanè est, ut meum quoque cor totum tibi consecrem, quod est tam parvum.

Verba S. Scripturæ.

Nemo potest duobus Dominis servire. Matth. 6. 24.

Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Matth. 22. 37.

Usquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini illum: si autem Baal, sequimini illum. 3. Reg. 18. 21.

Væ duplici corde! Eccli. 2. 14.

Divisum est cor illorum, nunc interibunt. Oseæ. 10. 2.

MEDITATIO CXLIII.

De Præsentia DEI.

DEUS est coram me: Deus est mecum. Deus est in me. Est coram me, ut me consideret. Est mecum, ut me gebernet. Est in me, ut me animet. Oportet itaque, & me versari coram Deo, non cogitando, nisi de ipso. Cum Deo, non operando, nisi propter ipsum. In Deo, non amando, nisi ipsum.

Nunquam solus sum. Deus semper mecum est. Nunquam solus operor. Deus semper me-

mecum operatur. Nunquam ſolus patior. Deus ſemper mecum patitur. An non hoc eſt in Paradiſo degere, ſemper intueri Deum? An hoc eſt infernum incolere, nunquam intueri Deum?

O mi Deus! Tu ſemper cogitas de me. Et ego nunquam cogito de te. Tu ſemper mecum es, & ego nunquam tecum ſum. Tu ſemper laboras propter me, & ego nunquam laboro propter te. Tu in me es veluti in inferno, ut videas ſcelera, & audias blaſphemias. Deinceps verò in me eris, veluti in Paradiſo, ut videas opera mea bona, & audias laudes tuas.

Verba S. Scripturæ.

Domine probâſti me, & cognoviſti me, tu cognoviſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam. Pſal. 131. 1. & 2.

Quò ibo à Spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? ſi aſcendero in Cælum, tu illic es, ſi deſcendero in infernum, ades. Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me: & tenebit me dextera tua. Pſ. 128. 7. 8. 9. & 10.

Tu autem in nobis es, Domine. Jerem. 14. 9.

Dominus exercituum, in cujus conſpectu ſto. 3. Reg. 3. 14.

MEDITATIO CXLIV.

De Solitudine.

DIfficile est conversari simul cum Deo, & cum hominibus. Oportet fugere consortia hominum, si frui velis dilecto tuo. Mundus nimium tumultuatur circa cor tuum, unde non facilè possunt audiri verba dilecti tui. Non videtur Deus nisi in deserto. Et in sopore sensuum, Et in silentio cupiditatum.

Esto solitarius corpore. Esto solitarius mente. Esto solitarius corde. Deus te visitat, quando es solitarius corpore. Deus tibi loquitur, quando es solitarius mente. Deus te totum implet, quando es solitarius corde.

Nisi longe recedas à creaturis, Deus te non visitabit. Nisi imperes silentium creaturis, Deus tibi non loquetur. Nisi te penitùs avellas à creaturis, Deus te non amabit. O solitudo corporis! O solitudo mentis! O solitudo cordis! Has qui tolit, videt, audit, & gustat Deum. Eamus in solitudinem, dilecte mi! ibi enim mihi loquêris ad cor.

Verba S. Scripturæ.

Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus. Os. 2. 14.

Non in commotione Dominus. 3. Reg. 19. 14.

Mulier fugit in solitudinem. Apoc. 12. 6.

Elon-

Elongavi fugiens; & mansi in solitudine. Ps. 54. 8.

Sedebit solitarius, & tacebit. Thren. 3. 28.

Cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito. Matth. 6. 6.

Per vias, & plateas quæram, quem diligit anima mea: quæsivi illum, & non inveni. Cant. 3. 2.

MEDITATIO CXLV.

De Derelictione sui ipsius.

BEatus homo, qui confidit in Deo. Qui se totum permittit Providentiæ ejus. Qui se dirigi sinit à sapientia ejus. Qui plenè quiescit in bonitate ejus.

Nihil perturbat animam, quæ se totam Deo commisit. Nihil adversatur desideriis ejus. Omnia ei eveniunt, sicut vult. Omnia sicut desiderat, quia nihil desiderat, nisi quod vult Deus.

Dormit illa inter sævientes procellas. Tranquilla est inter persecutiones. Laborat sine anxietate. Omnia agit sine inquetudine. Deus illi est Navis, & Navarchus, Currus & Auriga. Pater, & Protector. Tutor, & defensor.

Anima, quæ se totam Deo tradidit, quiescit intra brachia ejus. Ponit cor suum in sinu ejus. Nihil curat nisi ipsi placere. Nihil cogitat, nisi illi satisfacere. Illi commendat

Spiritum suum, cùm sit mortua omnibus timoribus & desideriis suis.

Sed Deus vigilat, cùm illa dormit. Laborat, cùm illa quiescit. Dirigit eam in itineribus ejus. Portat etiam in infirmitatibus ejus. Exaudit preces ejus. Prævenit omnia desideria ejus. Unicè curat omnia negotia ejus. Bene precatur omnibus consiliis ejus. Providet omnibus necessitatibus ejus. Sanat omnes ægritudines ejus. Suaves efficit omnes amaritudines ejus. Mitigat omnes dolores ejus.

Filia mea, ait Dominus, cogita de me, & ego cogitabo de te. Exequere voluntatem meam, & ego exequar tuam. Negotia mea cura, veluti si tua essent: & ego tua perficiam, veluti si mea essent. Persevera in quiete, & nihil desidera. Dona mihi cor tuum, & ego tibi meum, donabo.

Verba S. Scripturæ.

Beatus vir, qui sperat in eo. Psal. 33. 9.

Non contristabit justum, quidquid ei acciderit. Prov. 12. 21.

In doloribus dormietis. Isa. 50. 11.

Qui timet Dominum, nihil trepidabit: & non pavebit: quoniam ipse est spes ejus. Eccli. 34. 54. 16.

Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris Adjutor. Psal. 9. 14.

Scio, cui credidi, & certus sum, quia potens est, depositum meum servare in illum diem. 2. Tim. 1. 12.

MEDITATIO CXLVI.

Quomodo oportet se penitùs derelinquere.

NEſcio, an ſim damnandus. Neſcio, an ſim ſalvandus. Neſcio, an bene operer. Neſcio, an malè operer. Neſcio, an proficiam. Neſcio, an deficiam. Neſcio, quid dicam, Neſcio, quid cogitem. In tanta confuſione cogitationum mearum, absque ulla perturbatione dico tibi. Mi DEus! totum me tibi trado, & Providentiæ tuæ dirigendum committo.

Amici mei perfide me produnt. Inimici mei perſequuntur me. Conſumor doloribus. Redactus ſum ad extremam neceſſitatem. Spoliatus ſum bonis meis. Denigratus ſum calumniis. Nemo eſt, qui me conſoletur. Nullum guſtum ſentio in exercitiis pietatis. Tentationes meæ augentur. Vires meæ imminuuntur. Lumina mea deficiunt. Neſcio, quid de me ſit futurum. Dereliquit me cor meum. Deſtitutus ſum omni præſidio. Omnis conſolatio mea inter ærumnas meas eſt, me ipſum penitùs derelinquere, & dicere tibi: Mi Deus! me totum tibi trado, & Providentiæ tuæ dirigendum committo.

An ſum in gratia? An ſum in peccato? An ſum dignus odio? An ſum dignus amore? An moriar bene? An male? An ſalvus ero? An damnandus? An ad cœlum ibo? An ad infernum? Omnia hæc mihi ſunt incomperta. Sed nihil horum omnium me perturbat. In

Deo pono fiduciam meam. Quiesco in misericordia ejus. Innitor meritis Filii ejus. Commendo illi Spiritum meum. Tranquillus sum, cùm illi dico: mi Deus! totum me tibi trado, & Providentiæ tuæ dirigendum committo.

Sive moriar, sive vivam, sive citò moriar, sive diu vivam. Sive sim sanus, sive sim æger. Sive sim dives, sive sim pauper. Sive solatiis abundem, sive afflictionibus premar. Sive pace fruar, sive bello urgear. Perinde mihi est. Tuum beneplacitum, est etiam meum. Voluntas tua me recreat. Nil desidero, nil tibi placere, & te amare. Tu es spes mea, & omnia mea. Mi Deus! totum me tibi trado, & Providentiæ tuæ dirigendum committo.

Verba S. Scripturæ.

In manus tuas commendo Spiritum meum: redemisti me Domine, Deus veritatis. Psal. 30. 6

In pace in idipsum dormiam, & requiescam. Psalm. 4. 9.

Ego mendicus sum & pauper: Dominus solicitus est mei. Psal. 39. 18.

Factus sum tanquam vas perditum. Psalm. 30. 4

Ipse dixit: non te deseram, neque derelinquam. Hebr. 13. 5.

MEDITATIO CLXVII.

De Annihilatione.

ESse, fecit nos exire à Deo. Non esse, facit nos redire ad Deum. Donec anima reppererit nihilum suum, non poterit reperire Deum. Latet is sub creaturis, tanquam sub velamentis, & speciebus. Cùm quis interiora penetrat, Deum apertè videt.

Ut scias omnia, oportet nihil scire. Ut gustes omnia, oportet nihil gustare. Ut habeas omnia, oportet nihil habera. Ut sis omnia, oportet esse nihil.

O mi Deus! Tu es mihi omnia, & ego nihil sum. Tu es lux mea, ego nihil scio. Tu es fortitudo mea, ego nihil possum. Tu es virtus mea, ego nihil operor. Loquere Domine, quia audit servus tuus. Os meum coram te est sine voce: sed tu nôsti, quid loquatur tibi cor meum.

O felix anima, quæ audit Deum in silentio omnium meditationum suarum! Tacete cogitationes humanæ & carnales. Sileat omnis caro in Dei præsentiâ.

Verba S. Scripturæ.

Sileat omnis caro à facie Domini. Zach. 2. 13.

Redactus sum in nihilum: abstulisti quasi ventus desiderium meum. Job. 30. 15.

Subſtantia mea tanquam nihilum ante te. Pſ. 38. 8.

Paululum cùm pertranſiſſem eos, inveni, quem diligit anima mea. Cant. 3. 4.

Affer mihi adhuc vas. 4. Reg. 4. 6.

MEDITATIO CXLVIII.

De quinque Gradibus Perfectionis.

OPortet te, ut Viatorem, peregrinari ſuper terram. Oportet te crucifigi. Oportet te mori in cruce. Oportet te ſepeliri. Oportet te deſcendere uſque ad inferos.

Viator nulli rei adhæret. Crucifixus nihil operatur. Mortuus nihil ſentit. Corpus in terra tumulatum pedibus calcatur. Nulla conſolatio eſt in inferno.

O ſacrum nihilum! Ubi anima perdit ſuum eſſe, ut transformetur in Deum. O ſepulchra viventia! Ubi ſapientes ædificant ſibi ſolitudines! O Ager Evangelicus! Ubi theſaurus gratiæ latet abſconditus. O terra viventium! ubi granum frumenti moritur, ut reſuſcitetur.

O DEus ſolus! quàm es amabilis! Præoptarem tecum eſſe in inferno, quàm ſine te eſſe in Paradiſo. O utinam ſim ex his mortuis viventibus, qui ſunt vulnerati charitate! O utinam dormiam cum illis in ſepulchro ſenſuum & cupiditatum!

O mi Deus! Utinam moriar ut tu vivas in me! Utinam deinceps mihi nihil ſim, ut totus

tus tuus sim. Ut tu sis totus in me, totus meus, & si ausim dicere, totus ego.

Verba S. Scripturæ.

Charissimi, obsecro vos, tanquam advenas, & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desideriis, 1. Petr. 2. 11.

Christo confixus sum cruci, vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus. Gal. 2. 19.

Mortui estis, & vita vestra est abscondita cum Christo in Deo. Col. 3. 3.

Consepulti sumus cum illo per Baptismum in mortem. Rom. 6. 4.

Dolores inferni circumdederunt me. Psalm. 17. 6.

Eduxisti ab inferno animam meam. Psalm. 29. 4.

MEDITATIO CXLIX.

De Perfectionibus Divinis.

QUid est Deus? Nescio. Deus essem, si id possem declarare. Deus esses, si id posses comprehendere.

Quid est Deus! Est ille, qui est. Est ille, à quo sunt omnia. Est ille, propter quem sunt omnia. Est ille, in quo sunt omnia. Est ille, sine quo nihil esse potest. Est principium, finis, centrum, & fundamentum omnis esse.

Quid eſt Deus? Eſt voluntas omnipotens. Eſt Bonitas amabilis ſuper omnia. Eſt felicitas ſuprema. Eſt lumen æternum. Eſt Ratio falli neſcia. Eſt Potentia inſuperabilis. Eſt Juſtitia. inviolabilis. Eſt omne id, quod video. Nihil eſt eorum, quæ video. Eſt pulchrum, per quod ſunt omnia pulchra. Eſt bonum, per quod ſunt omnia bona. Eſt ille, qui me illuminat in ſole. Qui me calefacit in igne. Qui me refrigerat in aquâ. Qui me nutrit in pane. Qui me recreat in floribus. Qui me ſuſtentat in terrâ.

Quid eſt Deus? Vidiſtíſne illum oculi mei? Non, quia non habet colorem. Audiſtíſne illum aures meæ? Non, quia non habet ſonum. Guſtaſtíne illum lingua mea? Non, quia non habet ſaporem. Attigiſtíſne illum manus meæ? Non, quia non habet corpus.

Quid igitur eſt Deus? Eſt eſſentia coloris. Eſt fragor ſoni. Eſt principium ſaporis Eſt fundamentum omnis ſubſtantiæ. Eſt lumen ſuper omne lumen, quod oculus non videt. Eſt vox ſuper omnem vocem, quam auris non audit. Eſt odor ſuper omnem odorem, quem odoratus non ſentit. Eſt dulcedo ſuper omnem dulcedinem, quam guſtus non percipit. Eſt ſubſtantia ſuper omnem ſubſtantiam, quam manus non tangit. Eſt eſſe incomprehenſibile, quod comprehendit omnia. Inviſibile, quod videt omnia. Indiviſibile, quod unit omnia. Inacceſſibile, quod eſt in omnibus. Æternum, quod producit omnia. Immobile, quod movet omnia. Immutabile, quod mutat omnia.

Quid est Deus? Est Spiritus, qui habitat in semetipso. Qui felix est per seipsum. Qui sufficiens est sibimetipsi. Qui continet omnia in semetipso. Qui magnus est sine quantitate. Qui bonus est sine qualitate. Qui infinitus est sine numero. Qui immensus est sine extensione. Qui æternus est sine duratione. Qui pulcher est sine figurâ.

Quid est Deus? Est Spiritus, qui est per omnia, & non est divisus. Qui est in omnibus, & non est inclusus. Qui est extra omnia, & non est exclusus. Qui est super omnia, & non est elevatus. Qui est infra omnia, & non est depressus.

Quid est Deus? Est Spiritus, cujus natura non est, nisi bonitas. Cujus magnitudo non est, nisi Majestas. Cujus vita non est, nisi Fæcunditas. Cujus intellectus non est, nisi Sapientia. Cujus voluntas non est, nisi Sanctitas. Cujus cogitatio non est, nisi Lumen. Cujus virtus non est, nisi Potentia. Cujus inclinatio non est, nisi Amor. Cujus actiones non sunt, nisi Miracula. Cujus motus non est, nisi Quies. Cujus duratio non est, nisi Æternitas. Cujus locus non est, nisi imensitas.

Quid est Deus? Est Spiritus semper præsens, & semper absconditus. Semper agens, & semper quietus. Semper colligens, & nihil lucrifaciens. Semper effundens, & nunquam exhaustus. Semper amans, & nunquam inquietus. Semper conquirens, & nunquam exiens è centro beatitudinis suæ.

O magne Deus! O magne Spiritus! quàm terribilis es cogitationibus nostris; sed quàm

amabilis es voluntatibus nostris. O Sancte Sanctorum! Omnia ossa mea, quantumvis sint insensibilla, sensibilia tamen sunt ad tuam præsentiam. Clamant nocte & die: Domine! quis similis tibi?

O Anima mea! Quid quæris semper te-ram? Bonitatem? Hæc est in Deo sine malitia. Pulchritudinem? Hæc est in Deo sine macula. Perfectionem? Hæc est in Deo sine defectu. Scientiam? Hæc est in Deo sine errore. Fortitudinem? Hæc est in DEO sine infirmitate. Pacem? Hæc est in DEO sine perturbatione. Delectationem? Hæc est in Deo sine dolore. Abundantiam! Hæc est in Deo sine indigentia. Felicitatem? Hæc est in Deo sine miseriâ.

O mi Deus! amabo te ex toto corde meo, quoniam tu es gaudium meum, & summa felicitas mea. Nihil deinceps quæram extra te, quia omne, quod quæro, invenio in te. O quàm gaudeo, dum cogito, quòd te plùs possim amare, quàm te possim cognoscere! Non possum te comprehendere mente mea. At possum te continere corde meo. Et quare cor meum non est totum tuum, cùm tu sis totus illius?

O Pulchritudo admiranda! O Bonitas infinita! Quando tandem te videbo? Quando tandem te amabo? Quia mori necesse est, ut videam, æquum est, ut amore tanti Boni infinities moriar.

Verba S. Scripturæ.

Ego ſum, qui ſum. Exod. 3. 14.

Ego ſum α & ω Principium, & Finis, dicit Dominus Deus, qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt Omnipotens. Apoc. 1. v. 8.

Quis ſimilis tui in fortibus, Domine? Quis ſimilis tui? Magnificus in ſanctitate, terribilis, atque laudabilis, faciens mirabilia. Exod. 15. 11.

Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, ipſi Gloria in ſæcula, Amen. Rom. 15. 35.

MEDITATIO CL.

De Amabilitate DEI.

QUàm immenſus eſt DEus, qui creavit tam grandia! Quàm pulcher eſt DEus, qui creavit tam pulchra! Quam bonus eſt Deus, qui creavit tam bona? Quanta mihi Deus præſtitit beneficia! A quantis me defendit periculis? A quantis me liberavit malis? Quanta mihi promittit bona?

Quis potiori jure meretur cor meum, quàm ipſe? Quis pro corde meo obtinendo majus mihi pretium offert, quàm ille? Cui id donabo, niſi illi, qui ſuum mihi cor donavit? Cui id vendam, niſi illi, qui pretio ſanguinis ſui illud emit? Itàne cor impium æqui-

valeat Sanguini Dei? Æquivaleat vitæ Dei? Æquivaleat cordi Dei? Æquivaleat Regno DEI?

O mi DEus! Non mereor vivere, ſi vivere velim propter aliud, quàm propter te. Non mereor habere cor, ſi quid aliud velim amare, præter te. O quàm ſerò, nimis te amavi. Pulchritudo ſemper nova, & ſemper antiqua! Heu! quàm præmaturè te offendi, Bonitas ſemper amanda, & ſemper adoranda. Agnoſco tenebras meas. Horreo ingratitudines meas. Semper te amabo, Deus Bonitatis! Nunquam te offendam, Deus Majeſtatis!

Verba S. Scripturæ.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tuâ, & ex omnibus viribus tuis. Luc. 10. 27.

In hoc apparuit Charitas Dei, quoniam Filium ſuum unigenitum miſit Deus in mundum, ut vivamus per eum. 1. Joan. 4. 9.

Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipſe prior dilexit nos. 1. Joan. 4. 19.

Diligam te Domine, fortitudo mea; Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. Deus meus adjutor meus &c. Pſ. 17. 2. & 3.

MEDITATIO CLI.

De Amore DEI erga homines, & hominum erga Deum.

AMemus DEUM, quia ipſe nos amat. Amemus Deum, ſicut ipſe nos amat.

Amor Dei antiquiſſimus eſt. Amavit nos ab omni æternitate. Semper fuimus præſentes in mente ejus. Semper fuimus præſentes in corde ejus. Amor illius tam antiquus eſt, quàm ipſe Deus. Nunquam fuit, quin nos amaret. Sicut ergo ſemper fuit, ita ſemper nos amavit. Vult nos etiam deinceps amare in æternum.

Amor Dei eſt purus, & nullius lucri cupidus. Amat nos, opis noſtræ non indigus. Amat nos, nec quidquam commodi à nobis expectat. Amat nos absque ullo noſtro merito. Amat nos absque ulla ſua obligatione. Amat nos, ut viciſſim à nobis ametur, & per ſui amorem beatos nos efficiat.

Amor Dei eſt tener. Eſt amor ſuavitatis. Eſt ſuavitas amoris. Eſt amor patris. Eſt amor Matris. Eſt amor Nutricis.

Amor Dei eſt fortis, Triumphat de omnibus obſtaculis. Beneficia confert ingratis. Beneficia confert rebellibus. Beneficia confert inimicis ſuis.

Amor Dei eſt infinitus. Amat nos eo amore, quo ſemetipſum amat. Bona nobis contulit infinita. Mala pro nobis ſuſtinuit infini-

nita. Sanguinem suum nobis dedit, qui est pretii infiniti. Gratiam suam nobis communicat, quæ est thesaurus infinitus. Gloriam suam nobis præparat, quæ est bonum infinitum.

Amor Dei est universalis. Complectitur omnes homines. Nemo est, quem non amet. Nemo est, quem non visitet. Nemo est, cui non ferat auxilium. Nemo est, cui non tribuerit Custodem Angelum. Nemo est, quem non redemerit. Nemo est, quem non velit salvari.

O Amator incomparabilis! Ubi reperiam amicum tam fidelem, tam antiquum, quàm te? O anima mea! potésne non amare illum, qui tantopere te amavit? Potésne denegare cor tuum illi, qui cor suum tibi donavit? Compara unum cum altero. Metire magnitudinem unius, & alterius.

O Deus meus, Amor meus! Fuitne unquam ingratitudo æquiparabilis meæ? Tu me amas, ex quo es, & ego te offendo, ex quo sum. Tu me amas ab omni æternitate, & ego non velim te amare in tempore?

Amabo te deinceps, mi Deus! sicut tu me amâsti. Amabo constanter. Amabo purè. Amabo tenerè. Amabo fortiter. Amabo æternùm. Amabo universaliter. In omni loco. In omni tempore. In omni statu & conditione. In omni genere personarum, & in exactissimâ adimpletione omnis beneplaciti tui.

Verba S. Scripturæ.

In Charitate perpetuâ dilexi te. Jerem. 31. 3.

Ipse Pater amat vos. Joan. 16. 27.

Sicut mater unicum amat filium suum, ita ego te diligebam, 2. Reg. 1. 26.

Omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. 1. Tim. 2. 4.

Cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Joan. 13. 1.

Nunquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à viis suis, & vivat? Ezech. 18. 23.

MEDITATIO XLVII.

De Incomprehensibilitate Dei.

OMnia tempora non possunt metiri Divinam Essentiam. Omnia locorum spatia non possunt eam includere. Omnes intellectus non possunt eam comprehendere. Omnia corda non possunt eam satis amare.

Deus nihil est eorum, quæ video. Nihil est eorum, quæ tango. Nihil est eorum, quæ sentio. Nihil est eorum, quæ intelligo. Nihil est eorum, quæ cognosco. Nihil est eorum, quæ mihi imaginor. Est Essentia invisibilis, spiritualis, & incomprehensibilis.

O mi Deus! Quàm dives sum, si nihil habeam, nisi te? Quàm illuminatus sum, si nihil

hil videam nisi te? Quàm intelligens sum, si nihil cognoscam nisi te? Quàm beatus sum, si nihil gustem, nisi te.

Video omnia, quando nihil ampliùs video. Gusto omnia, cùm nihil ampliùs gusto. Intelligo omnia, cùm nihil ampliùs intelligo. Possideo omnia, cùm nihil ampliùs possideo. Sum omnia, cùm nihil sum ampliùs.

Veneror omnipotentiam Dei, per Sacrificium mearum virium. Veneror Majestatem Dei, per Sacrificium meæ gloriæ. Veneror Bonitatem Dei, per Sacrificium desideriorum meorum. Veneror Incomprehensibilitatem Dei per sacrificium mearum cogitationum.

Evacua memoriam tuam imaginibus suis, & Deus eam replebit Essentiâ suâ. Evacua cor tuum affectionibus suis, & Deus illud replebit bonis suis. Evacua mentem tuam conceptibus suis, & Deus illam replebit lumine Sapientiæ suæ.

Verba S. Scripturæ.

Magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu. Jerem. 32. 19.

Cui comparâstis me, & fecistis similem? Is. 46. 4.

Renuit consolari anima mea: memor fui Dei, & delectatus sum. Ps. 76. 4.

Omnia ossa mea dicent: Domine quis similis tibi. Psal. 34. 10.

Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea. Psalm. 136. 7.

ME-

MEDITATIO CLIII.

De Simplicitate.

ESto ſimplex mente. Eſto ſimplex corde. Mens ſimplex non habet niſi unicam cogitationem. Cor ſimplex non habet, niſi unicum deſiderium. Sine gemina hac ſimplicitate nunquam pervenies ad unitatem.

Deus eſt purus actus. Nihil eſt ſimplicius, quàm ejus eſſentia. Non poteſt ſe multiplicare. Non poteſt pati duplicitatem. Ab æterno non habet, niſi unam cogitationem, & unum amorem. Omnia dicit uno Verbo; & hoc verbum non eſt niſi veritas. Si cupias uniri Deo, oportet te imitari hanc ſimplicitatem.

Cui bono ſunt tot cogitationes? Ad quid ſerviunt tot ratiocinationes? An non convictus es à veritate? Cur quæris, quod jam peperiſti? Fac, quod ſcis, & guſta, quod vides. Deus eſt magnum Verbum. Eſt magnum argumentum orationis. Proijce te in hunc Oceanum. Merge te in hanc abyſſum. In Deo reperies omnia. Extra Deum nihil reperies.

Martha nimis ſolicita es, & turbaris erga plurima. Curæ tuæ ſunt inutiles. Nimis multa paras alimenta Verbo, quod vis paſcere. Ad quid conducunt tot curæ? Unum tantùm eſt neceſſarium. Imitare Magdalenam ſororem tuam. Meliorem illa partem elegit.

Auſcultat, & non loquitur. Quieſcit absque ulla ſolicitudine. Summo abundat ſolatio, quod morari poſſit in præſentia Dilecti ſui. Fuge multiplicitatem. Ama unitatem. Ecce unicum neceſſarium, nec eſt, niſi unicum, quod te poſſit plenè ſatiare.

Ut habeas unicam tantùm cogitationem, oportet non habere, niſi unicum deſiderium. Ut liber evadas à cogitationibus tuis, cura, ut liber ſis à deſideriis tuis. Sine cordis ſimplicitate nunquam habebis ſimplicitatem mentis. Millenas res diligis, & tamen de nullâ cogitationem vis admittere? Morem geris cupiditatibus tuis, & quereris contra mentis evagationes? Querelæ tuæ non ſunt rationi conformes. Duplicitas occupat cor tuum. Evolat cor ad theſaurum ſuum. Delectatur in illo, quod diligit. Quoniam ergo non delectatur in Deo, Deum non unice diligit.

Non es Dominus mentis tuæ. An autem non es Dominus cordis tui? Non potes carere omni cogitatione. Sed an non potes liber eſſe ab omnibus deſideriis? Non habebis cogitationes malas, ſi non habueris mala deſideria. Include te intra cor tuum, ibi enim reperies, quod ames. Quidquid obſtrepat mens tua, cave ne portam illi aperias. Fræna ejus levitatem. Comprime ejus curioſitatem. Quòd ſi eam coërcere non poſſis, permitte curſum menti vagabundæ. At cave, ne illam ſequaris. Permane conſtans in quiete tua. Contentus eſto inopiâ tuâ. Quid quæris, ſi Deum præſentem habeas? An fides non magis certa eſt, quàm ſenſus? Melius

lius eſt amare, quàm cogitare. Satiùs eſt frui, quàm deſiderare. Frueris dilecto tuo, quando eum amabis, nihil ultrà deſiderando.

O Anima mea! quàm felix eſſes, ſi Deo contenta viveres, ſi non quæreres, niſi illi placere, ſi nil velles, niſi, quod ipſe vult! Cor tuum in Oratione eſſet, ſicut lapis in ſuo centro. Sicut flamma in ſua ſphæra. Sicut fluvius in ſuo oceano. Sicut acus magnetica directè reſpiciens polum ſuum. Sicut ferrum magneti ſuo conjunctum.

O mi Deus! Quid eſt, quod cupio, & quid eſt, quod quæro? Quid eſt quod deſidero, quid eſt, quod exſpecto? Ah! quietem inquiro, & ſemper in motu ſum. Cuperem in pace vivere, & ſemper bellum voveo. Fatigatus tandem ſum labore, volo deinceps quieſcere. Nimiis abundo cogitationibus. Incipiam modò ardenter amare. Guſtemus anima mea! & videamus, quàm ſuavis ſit Dominus.

O Deus vitæ meæ! O pax animæ meæ! Lætus obtuli tibi univerſa in ſimplicitate cordis mei. Tu nôſti, quid quæram. Tu ſcis, quid deſiderem. Cor meum rectum & ſimplex eſt, mi Deus! caret omni duplicitate. Fac ergo illud ingredi in requiem Sanctorum, illúdque attrahe ad centrum unitatis.

Verba S. Scripturæ.

Cum ſimplicibus ſermocinatio ejus. Proverb. 3. 32.

Simplicitas justorum diriget eos. Proverb. 11. 3.

Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Matth. 6. 22.

Turbaris erga plurima, porrò unum est necessarium. Luc. 10. 41.

In simplicitate cordis quærite illum. Sap. 1. 1.

MEDITATIO CLIV.

De Plenitudine Divitiarum Dei.

DEus sufficit sibi ipsi. Non indiget operâ nostrâ. Sufficiens est creaturis suis, quæ non indigent, nisi ipso.

Deus est omnia omnibus hominibus. Est lumen cæcis. Est sanitas ægris. Est consolatio afflictis. Est robur infirmis. Est sanctitas peccatoribus. Est vita mortuis. Est pax vivis.

O dulcia verba! Deus meus & omnia! Quàm suavia sunt animæ, cui Deus est omnia, & cui omnia cætera, præter Deum, nihil sunt.

O Deus meus, & omnia! Desino ego cogitare, inquirere, & ratiocinari. Omnia reperio in duobus his verbis: Deus meus, & omnia. Omnia, quæ lego, omnia, quæ intelligo, occupant mentem meam. Sed non replent cor meum. Ubique reperio vacuitatem & indigentiam. In te solo invenio summam votorum meorum. O Deus meus & omnia!

omnia! Duo hæc verba ſunt mel ori meo, Sunt fons aquæ vivæ cordi meo, quæ extinguit ſitim ejus, & plenè ſatiat omnia deſideria ejus.

Quid deſiderare poſſum præter te? quid me ſatiare poteſt præter te? O Deus meus, & creaturæ omnes mihi nihil erunt.

Verba S. Scripturæ.

Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Pſal. 15. 1.

Oſtendam omne bonum tibi. Exod. 33. 19.

Qui replet in bonis deſiderium tuum, Pſal. 102. 5.

Quid mihi eſt in Cælo, & à te quid volui ſuper terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum! Pſal. 72. 25. & 26.

MEDITATIO CLV.

De Paradiſo.

PAradiſus eſt Domus DEI. Eſt terra viventium. Eſt centrum quietis. Eſt Oceanus bonorum omnium. Eſt abſentia malorum omnium, Eſt meta omnium deſideriorum. Eſt fons omnium delectationum. Eſt theſaurus omnium divitiarum. Eſt thronus omnium Excellentiarum. Eſt finis omnium curarum. Eſt cumulus omnium conſolationum,

Ibi videbis, & amabis. Possidebis, & gaudebis. Habebis omnia, quæ desideras. Nihil habebis eorum, quæ times. Ibi erit bonum sine malo. Delectatio sine dolore. Abundantia sine indigentia. Sanitas sine morbo. Vita sine morte. Quies sine inquietudine.

O quantum gaudium! videre omnia, quæ sunt pulchra. Amare omnia, quæ sunt bona. Possidere omnia, quæ sunt magnifica. Gustare omnia, quæ sunt dulcia. Videre primam Veritatem. Amare primam Pulchritudinem. Possidere supremum Bonum. Gustare summam suavitatem.

Quàm dilecta Tabernacula tua, Domine virtutum! Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. O quàm miser sum in hoc exilio! O quàm beatus ero in illa Patriâ! Anima mea, si diligas bona hujus sæculi, perdas bona æternitatis. Si terræ deliciis te oblectes, carebis suavissimis Cœli deliciis. Heu! quàm sordet mihi terra, dum Cœlum aspicio!

Mi Deus! Utinam moriar quàm citissimè, ut te videam! quia nemo videre te potest, nisi moriatur.

Verba S. Scripturæ.

Ostendam omne bonum tibi. Exod 33. 19.

Replebimur in bonis Domûs tuæ. Psal. 64. 5.

Satiabor, cùm apparuerit gloria tua. Psal. 16. 15.

Inebriabuntur ab ubertate Domûs tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Psal. 35. 9.

Absterget Deus omnem lacbrymam ab oculis eorum: & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà. Apoc. 21. 4.

Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum. 1. Corinth. 2. 9.

MEDITATIO. CLVI.

De Unione Divinâ.

UT perveniatur ad unionem, opus est magna mortificatione. Opus est magna animi collectione. Oportet se totum permittere divinæ Providentiæ. Oportet se sinere plenè dirigi ab obedientia. Oportet renuntiare judicio suo. Oportet abnegare voluntatem suam. Oportet expugnare cupiditates suas. Oportet obsequi divinis inspirationibus.

Non potes simul agere cum Deo, & cum hominibus. Non potes abesse à te ipso, & præsens esse tibi ipsi. Conversari cum aliis & manere collectus. Cor habere ligatum, & mentem liberam. Amare omnia, & nulla de re cogitare. Mori spiritualiter, & vivere sensualiter.

Actio præcedit contemplationem. Labor ducit ad quietem. Timor sustentat amorem. Pœnitentia disponit ad gaudium. Ratio adjuvat fidem. Humanitas JESU ducit ad ejus Divinitatem.

Homo ſapiens, & diſcretus diſponit gradus in corde ſuo. Primus eſt versùs cor. Secundus eſt in corde. Tertius eſt cordi. Quartus eſt ſupra cor. In primo timemus Dominum. In ſecundo audimus Magiſtrum. In tertio deſideramus Sponſum. In quarto fruimur Deo. Timemus ad radicem montis Sinai. Videmus prodigia in medio. Excæcamur in vertice montis. Invenimus Deum in tenebris. Moyſes, antequam vocaretur à Deo, non auſus eſt ingredi illam caliginem.

Gratia viſitationis non fundat ſtatum. Gratiæ quædam ſunt excitantes. Aliæ ſunt gratiæ remunerantes. Excitantes præcedunt meritum. Remunerantes coronant meritum. Excitantes ſunt pro tempore. Remunerantes ſunt pro æternitate. Non potes tibi ſecuritatem ſpondere, quòd ſemel JESUM videris transfiguratum. Non debes te Sponſam credere, quòd ſemel præſens fueris nuptiis. Novitius poteſt frui Deo, ut tamen non ſit in ſtatu poſſeſſionis. Inſolens præſidentia eſt, velle Sponſam eſſe, antequam fueris Ancilla.

Pœnitens poteſt quidem interdum cantare: ſed propria ejus occupatio eſt plorare. Anima vulneribus ſaucia, non indiget Sponſo, ſed Medico. Debet quærere medelam vulnerum, & non petere amoris oſcula. Cùm oſculatus fueris pedes Dilecti tui, manus quoque ejus poteris exoſculari. Cùm feceris bona opera, poteris etiam ori ejus oſcula figere. O Domine, quis auſit petere hanc gratiam; ſed quis poſſit illam non deſiderare?

Anima per meditationem instruitur. Per affectionem avehitur. Facit erumpere sua suspiria. Deinde moritur omnibus suis desideriis. Perdit usum vocis. Non scit ampliùs, quid loquatur Deo. Fit silentium in corde ejus, quo in admirationem rapitur, & stupore opprimitur. Terribilis caligo omnia lumina illi eripit. Imaginatio ejus est sine imagine. Appetitus ejus sine motu. Mens ejus sine ratiocinatione. Memoria ejus sine specie. Cupiditates ejus sine tumultu. Omnia nocturnis tenebris sunt involuta.

Quando Deus ex fundo caliginis, quâ mons Sinai est coopertus, animam vocat ad suum palatium, debet ipsa sine mora illud ingredi. Ignis, & tonitrua, fulgura, & præcipitia terrore illam complebunt. At ubi ingressa fuerit, Deus inscribet cordi ejus legem amoris, & gratiæ, teneritudinis & suavitatis. Coronabit illam claritate, & faciet resplendescere faciem ejus radiis Divinitatis.

Mediâ nocte clausis portis Sponsus ingreditur cor. Ibi celebrantur nuptiæ Agni. Non audiuntur, nisi cantica gaudiorum. Ipsi etiam sensus in partem lætitiæ veniunt. Mens sola moratur attonita, cùm se videt exclusam ab his nuptiis, & nescit, quâ viâ Sponsus ingressus sit. Solum cor experientia id didicit, sed effari non potest.

Beati, qui vocati sunt ad Nuptias Agni hujus Divini! Beati mortui in JESU Christo! Mortui ratiocinationibus naturæ. Mortui suis curis, & sollicitudinibus. Mortui suis mœroribus, & delectationibus. Mortui suis ti-

moribus, & desideriis. Transibuut à pœnitentia ad statum gaudii, & plenæ possessionis Dei. Videbunt labores suos coronatos pace, suavitate, quiete, deliciis infini[illegible].

Verba S. Scripturæ.

Scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Apoc. 14. 13.

Amodo dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos. Apoc. 14. 13.

Posuit tenebras latibulum suum: in circuitu ejus Tabernaculum ejus, tenebrosa aqua in nubibus aëris. Ps. 17. 12.

Cùm ascendisset Moyses, operuit nubes montem, & habitavit gloria Domini super Sinai, tegens illum nube, sex diebus, septimo autem die vocavit eum de medio caliginis. Exod. 24. 11. & 16.

Ecce Sponsus venit. Matth. 25. 6.

Quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, & clausa est janua. Matth. 25. 10.

Oratio ad SS. Trinitatem, pro impetrandâ Gratiâ Unionis.

SApientia DEI mei guberna me. Potentia Dei mei sustenta me. Bonitas Dei mei salva me. Spiritus Dei mei vivifica me. Amor Dei mei inflamma me. Voluntas Dei mei dispone de me.

San-

Sanctitas Dei mei sanctifica me. Charitas Dei solare me. Majestas Dei mei regna in me. Immensitas Dei mei reple me. Lux Dei mei illumina me. Misericordia Dei mei complectere me.

Pulchritudo Dei mei attraha me. Dulcedo Dei mei penetra me. Magnitudo Dei mei annihila me. Pax Dei mei pacifiea me. Justitia Dei mei dirige me. Sanctissima Trinitas, benedic me nunc & in æternum, Amen.

Inhærendum erit cuilibet Versui, & ille præ cæteris degustandus, qui animum suavius commovebit.

CANTICA SPIRITUALIA,

Pro animabus Sanctis.

CANTICUM I.

DEUS eſt in me, & ego ſum in Deo. Deus eſt meus, & ego ſum Dei. Deus eſt propter me, & ego ſum propter Deum. Deus cogitat de me, & ego cogito de Deo. Deus quieſci t in me, & ego quieſco in Deo. Deus operatur propter me, & ego operor propter Deum.

O Deus meus, & omnia, quid eſt, quod quæram, aut deſiderem, præter te?

CANTICUM II.

NIhil ſupra Deum. Nihil ſicut Deus. Nihil cum Deo. Nihil præter Deum.

Unum uni: ſolum ſoli. Totum toti. Cor cordi. Cor, quod amat, neſcit dividi. Cor, quod dividitur, neſcit, quid ſit amare.

O mi Deus! quid eſt in Cœlo, & in Terra, quod ſit amabile, ſicut tu? Quid eſt in toto Univerſo, quod tibi poſſit comparari?

CANTICUM III.

OMnis deſiderium meum eſt, nihil deſiderare. Omnis Voluntas mea eſt, nihil velle. Omnis cura mea eſt; de re nulla eſſe ſolicitum. Omne bonum meum eſt, nihil poſſidere.

Inveni, quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam. Quærebam eum extra me, & inveni eum intra me. Quærebam eum in tumultu, & reperi eum in pace. Quærebam eum in turba, & reperi eum in ſolitudine. Quærebam eum in mente meâ, & inveni eum in corde meo. Quærebam eum de die, & inveni eum in nocte.

Non vidi eum; ſed cognovi eum. Cor meum percepit eum modo inſenſibili. Satiavit me præſentiâ ſuâ. Implevit omnia deſideria mea. Suſtulit omnes anxietates meas. Cumulavit me deliciis. Beati, qui hâc quiete fruuntur. Et qui invitati ſunt ad nuptias Agni.

CANTICUM IV.

DIc mihi, obſecro, Dilecte me, ubi paſcas, ubi cubes in meridie?

In corde puro, & ab omnibus creaturis avulſo. Cor mundum eſt locus quietis meæ. Eſt paradiſus deliciarum mearum.

Nullus clamor in Domo Dei. Silentium in Paradiſo. Domine! non poſſum ultrà loqui, poſtquam tu mihi locutus es. Plenus ſum cogitationibus, nec occurrunt ampliùs verba, quæ eloquar.

O cor meum: Cuſtodi diligenter theſaurum, quem poſſides. Sponſus ingreditur portis clauſis. Egreditur, cùm ſunt apertæ. Occlude ante omnia portas ſenſuum tuorum. Pax, amor, ſecretum, ſilentium. Ecce hæc animam in tuto ponunt.

CANTICUM V.

OMnia perdidi, nil ultrà habeo, quod perdam. Omnia inveni, nihil eſt, quod ultrà quæram. Contentus vivo, nil ampliùs deſidero. Totus Dei ſum, nil ultrà timeo.

Omnia reliqui propter Deum. Omnia in Deo reperi. Deſideria mea inciderunt in illum, ſicut flumina in mare, ſine tumultu, ſine diſtinctione, ſine motu, ſine violentia, ſine arctis aggeribus, quibus intra terræ alveum conſtringebantur.

Poſtquam evanuit ex oculis meis, ingreſſus ſum Oceanum, demerſi me in hanc abyſſum. Perdidi me feliciter. Confudi meum eſſe cum eſſe Divino. Eram in tempore, & cre-

credebam me esse in æternitate. Eram creatura, & sentiebam me unitam Divinitati.

O nox mystica, & fortunata! ubi Verbum se univit menti nostræ, in silentio desideriorum, & cogitationum ejus. O quàm suavis est hæc hora! sed heu! quàm brevis! sileat omnis caro in præsentia Domini.

CANTICUM VI.

MOrs mihi minatur. Circumdatus sum tenebris. Agitatus sum procellis. Proximus sum portis inferni. Sed hæc omnia non me exterrent. Amor est fortior morte. In tenebris sternit lectum suum. Dormit securè in medio procellarum. Cœlum invenit in inferno. Paradisum suum secum circumfert, quia intra se habet, quidquid desiderat. Vult omnia, & nihil vult. Possidet omnia, & nihil possidet. Deus est thesaurus ejus, & felicitas. Cui Deus est omnia, totus mundus nihil est.

CANTICUM VII.

JESUS cogitat de me, & ego cogito de JESU. JESUS operatur propter me, & ego operor propter JEsum. Cor meum illi sufficit, & ille sufficit cordi meo. Ille sibi complacet in me, & ego mihi complaceo in illo. Ecce amoris Canticum! quod ipsi con-

cinn diu noctúque. Curam aliam non habeo, quàm ut nullam curam habeam. Unum bonum, quod desidero, est nihil desiderare. Vivere sine cura, & sine desiderio, est omnis mea delectatio.

CANTICUM VIII.

QUid est, quod sentio in imo animæ meæ? Quid est, quod agitur in imo cordis mei? Nuptiæ fiunt in Cana. JEsus illic parravit miraculum. Aquam mutavit in vinum. Ingressus est mediâ nocte clausis portis sensuum.

Vidi eum, cùm non viderem. Cognovi eum, cùm non cognoscerem. Oculus meus non vidit eum transeuntem. Auris mea non audivit ingredientem. Sensi odorem unguentorum ejus. Gustavi mel dulcedinis ejus.

O mi Deus! In quam Regionem me deducis? An versor in Cœlo, an in terra? An vivo in tempore, an in æternitate? Video te sine imagine. Tange te sine corpore. Sentio te sine organo. Procul dubio jam verso in Paradiso. Si diutiùs ita frui dilecto meo concessum fuerit, oportebit me mori.

CANTICUM IX.

RECede à me Dilecte mi. Sed non diu me desere. Subtrahe mihi tuam præsentiam, sed non subtrahe mihi tuum amorem. Subtrahe tuas delicias, sed relinque mihi dolores tuos. Exime Paradisum tuum ex animâ meâ, aut rape animam meam in Paradisum tuum. Non possum gaudere, nisi in cruce. Nisi occasiones aspera patiendi mihi suppedites, mortem mihi acceleras. Liberalis nimis es in solatiis, at parcus nimis es in doloribus.

O Deus meus! amor meus! Omnis delectatio mea est pati. Omne desiderium meum est mori. Anima mea, cane semper pulchrum hoc amoris Canticum,

Fixum mihi est in omnibus exequi beneplacitum Dei. Complacebo mihi in Deo. Complacebit sibi Deus in me, cùm mihi complacebo in illo. Contestabor, me in Deo solo plenè conquiescere, cùm inter ærumnas meas tranquillus degam. Non quiesco in Deo, si murmurem contra Deum.

CANTICUM X.

SUmmæ mihi gloriæ duco, propter te contemni. Omnes divitias meas æstimo, nihil possidere præter te. Omnis delectatio mea est, multa aspera pati propter te.

Vivo ego, jam non ego. Sum ego, & non ſum idem ego. Tu & ego unum ſumus. Omnes voluntates meæ defecerunt. Omnes ſpes meæ everſæ ſunt. Omnia deſideria mea extincta ſunt. Totum eſſe meum annihilatum eſt. Non laboro ampliùs, niſi propter te. Non reſpiro, niſi per te. Non ſubſiſto, niſi in te. Tu in me, ego in te. Tu pro me, ego pro te.

Eſſe, ubi vis. Velle, quod vis. Agere, quod vis. Pati, quod vis, efficit hominem beatum, & perfectum.

Finis Canticorum Spiritualium.

VERBA SACRÆ SCRIPTURÆ.

Caſtis animabus, Chriſto JEſu Dei Filio deſponſatis, frequentiùs expendenda.

1. DIlectus meus mihi, & ego illi. *Cant.* 2. 17.
2. Inveni, quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam. *Cant.* 3. 4.
3. Adjuro vos Filiæ Jeruſalem, ne ſuſcitetis, neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipſa velit. *Cant.* 2. 7.
4. Ego dormio, & cor meum vigilat. *Cant.* 5. 2.
5. Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum: quia fortis eſt ut mors dilectio. *Cant.* 8. 6.
6. Oſculetur me oſculo oris ſui. *Cant.* 1. 1.
7. Sub umbra illius, quem deſideraveram, ſedi. *Cant.* 2. 3.
8. Anima mea liquefacta eſt, ut dilectus locutus eſt. *Cant.* 5. 6.

9. Quæſivi, & non inveni illum: vocavi, & non reſpondit mihi. *Cant.* 5. 6.

10. Quid mihi eſt in Cœlo? & à te quid volui ſuper terram? *Pſal.* 72. 25.

11. Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. *Pſal.* 72. 26.

12. Quæ eſt expectatio mea, nónne Dominus? *Pſal.* 38. 8.

13. Dixi Domino; Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. *Pſal.* 15. 1.

14. Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei, tu es, qui reſtitues hæreditatem meam mihi. *Pſal.* 15. 5.

15. Tibi dixit cor meum, requiſivit te facies mea: faciem tuam Domine requiram. Ne avertas faciem tuam à me: ne declines in ira à ſervo tuo. *Pſal.* 26. 8. & 9.

16. Domine, ante te omne deſiderium meum. *Pſal.* 37. 10.

17. Fluminis impetus lætificat civitatem Dei, ſanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus. Deus in medio ejus, non commovebitur, adjuvabit eam Deus manè diluculo. *Pſal.* 45. 5. & 6.

18. Dominus virtutum nobiſcum; ſuſceptor noſter Deus Jacob. *Pſal.* 45. 8.

19. In pace in idipſum dormiam, & requieſcam. Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me. *Pſal.* 4. 9.

20. Hæc requies mea in ſæculum ſæculi: hîc habitabo, quoniam elegi eam. *Pſal. 131. 14.*

21. Poſuit tenebras latibulum ſuum, in circuitu ejus tabernaculum ejus. *Pſal. 17. 22.*

22. Cùm dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini. *Pſal. 126. 3.*

23. Tuus ſum ego, ſalvum me fac. *Pſalm. 118. 94.*

24. Pax multa diligentibus legem tuam. *Pſ. 118. 165.*

25. Dominus benedicet populo ſuo in pace. *Pſal. 28. 11.*

26. Converte anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. *Pſalm. 114. 7.*

27. Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis. *Pſalm. 83. 4.*

28. Expectans expectavi Dominum, & intendit mihi. *Pſalm. 39. 1.*

29. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem ſuam. *Pſalm. 84. 9.*

39. Niſi Dominus cuſtodit eam. *Pſalm. 126. 1.*

31. Oratio mea in ſinu meo convertetur. *Pſal. 34. 13.*

32. Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, & ponere in Domino Deo ſpem meam. *Pſal. 72. 11.*

33. Ad levavi oculos meos, qui habitas in cœlis. Ecce ſicut oculi ſervorum in manibus Dominæ ſuæ, ita oculi mei ad Dominum meum, donec miſereatur noſtri. *Pſ. 112. 1. & 2.*

34. Servus tuus ſum ego, da mihi intellectum *Pſal. 118. 125.*

35. Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timeo mala, quoniam tu mecum es. *Pſal. 22. 4.*

36. Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. *Pſal. 72. 26.*

37. In tenebris ſtravi lectulum meum. *Job. 17. 13.*

38. Nec aſpiciet me viſus hominis. *Job. 7. 8.*

39. Non in commotione Dominus. *3. Reg. 19. 11.*

40. Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam, & non timebo: quia fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem. *Iſa. 12. 2.*

41. Tu autem in nobis es Domine, & nomen tuum invocatum eſt ſuper nos, ne derelinquas nos. *Jer. 14. 9.*

42. Sileat omnis caro à facie Domini. *Zach. 2. 13.*

43. Modicum laboravi, & inveni mihi multam requiem. *Eccli. 51. 36.*

44. In omnibus requiem quæſivi, & in hæreditate Domini morabor. *Eccli. 24. 11.*

45. Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam. *Matth. 16. 25.*

46. Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. *Luc.* 1. 35.

47. Dominus meus, & Deus meus. *Joan.* 20. 28:

48. Pax vobis: ego ſum, nolite timere. *Luc.* 24. 36.

49. Pacem meam do vobis. *Joan.* 14. 27.

50. Ecce Sponſus venit. *Matth.* 25. 6.

51. Quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, & clauſa eſt janua. *Matth.* 25. 10.

52. Dominus eſt. *Joan.* 21. 7

53. Quid timidi eſtis, modicæ fidei! Tunc ſurgens imperavit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna. *Matth.* 8. 26.

54. Manete in me, & ego in vobis. *Joan.* 15. 4.

55. Vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum, quando revertatur à nuptiis, ut cùm venerit, & pulſaverit, confeſtim aperiant ei. *Luc.* 12. 36.

56. Pax Dei, quæ exſuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra & intelligentias veſtras, in Chriſto JEſu. *Phil.* 4. 7.

57. Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus *Joan.* 14. 23.

58. Diſcipulus, quem diligebat JEſus, qui recubuit in cœna ſuper pectus ejus. *Joan.* 21. 20.

50. Mortui eſtis, & vita veſtra & abſcondita cum Chriſto in Deo. *Coloſſ. 3. 3.*

60. Ipſe eſt pax noſtra. *Epheſ. 2. 14.*

61. In ipſo vivimus, & movemur, & ſumus. *Actor. 17. 28.*

62. Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit Spiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis: opera enim illorum ſequuntur illos. *Apoc. 14. 13.*

VERBA AMORIS,

Excerpta ex Libello de Imitatione JESU Christi, in usum Animarum aspirantium ad unionem.

1. FElix, quem veritas per se docet, & non per figuras, & voces transeuntes. *Lib. 1. c. 3.*
2. Ex uno verbo omnia, & unum loquuntur omnia. *Lib. 1. c. 3.*
3. Cui omnia unum sunt, & omnia ad unum trahit, & omnia in uno videt, potest stabilis corde esse & in Deo pacificus permanere. *Lib. 1. c. 3.*
4. O veritas, Deus meus! fac me unum tecum. *Lib. 1. c. 3.*
5. Tædet me sæpè multa legere, & audire: in te est totum, quod volo, & desidero. *Lib. 1. c 3.*
6. Taceant omnes Doctores, sileant universæ creaturæ in conspectu tuo, tu mihi loquere solus. *Lib. 1. c. 3.*

7. Regnum Dei intra vos est. Regnum Dei est pax & gaudium in Spiritu sancto. *Lib.* 2. *c.* 1

8. Cùm Christum habueris dives es, & sufficit tibi. *Lib.* 2. *c.* 1.

9. O JEsu splendor æternæ gloriæ, solamen peregrinantis animæ; apud te est os meum sine voce, & silentium meum loquitur tibi. *Lib.* 2. *c.* 1.

Totum hoc Caput prorsus Divinum est, & peridoneum adsolatium animæ, quæ est in statu desolationis.

10. Audiam, quid loquatur in me Dominus meus. Beata anima, quæ Dominum in se loquentem audit, & de ore ejus consolationis verbum accipit. *Lib.* 3. *c.* 1.

11. Loquere Domine, quia audit servus tuus. Servus tuus sum ego, da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua. *Lib.* 3. *c.* 3.

12. Hæc dicit dilectus tuus: salus tua ego sum, pax tua, & vita tua. *Lib.* 3. *c.* 1.

13. Domine Deus meus, omnia bona mea es tu. Memento Domine, quia nihil sum, nihil habeo, nihilque valeo *Lib.* 3. *c.* 3.

14. Tu solus bonus, justus & sanctus; tu omnia potes, omnia præstas, omnia imples, solum peccatorem inanem relinquens. *Lib.* 3. *c.* 3.

15.

15. Eja Domine Deus amator ſanƈte meus, cùm tu veneris in cor meum, exultabunt omnia interiora. *Lib. 3. c. 5.*

16. Tu es gloria, & exultatio cordis mei Tu ſpes mea, & refugium meum. *Lib. 3. c. 5.*

17. Da mihi hoc ſemper deſiderare & velle, quod tibi magìs acceptum eſt, & charius placet. *Lib. 3. c. 15.*

18. Tu vera pax cordis, tu ſola requies, extra te dura ſunt omnia, & inquieta. In hac pace in idipſum, hoc eſt, in te uno ſummo æterno bono dormiam & requieſcam. *Lib. 3. c. 15.*

19. Hæc mihi ſit conſolatio, libenter velle carere omni humano ſolatio. *Lib. 3. c. 16.*

20. Super omnia, & in omnibus, requieſcas anima mea in Domino ſemper, quia ipſe Sanƈtorum æterna requies. *Lib. 3. c. 21.*

21. O quando ad plenum dabitur mihi vacare & videre quàm ſuavis es Domine Deus meus! Quando ad plenum me recolligam in te, ut præ amore tuo non ſentiam me, ſed te ſolum, ſuper omnem ſenſum & modum, in modo non omnibus noto? *Lib. 3. c. 21.*

Lege Caput 48. lib. 3. quod est suavissimum, & Consolatione abundantissimum.

22. Fili, quantùm à te vales exire, tantùm in me poteris transire. Sicut nihil foris concupiscere, internam pacem facit, sic se interiùs relinquere, Deo conjungit, sequere me: Ego sum via, veritas & vita. *Lib. 3. c. 56.*

23. Domine, quæ est fiducia mea, quam in hac vita habeo? aut quod majus solatium meum, quàm tu Domine Deus meus. Ubi mihi bene fuit, sine te? Aut quando malè esse potuit, præsente te? *Lib. 3. c. 59.*

24. Malo pauper esse propter te, quàm dives sine te. Eligo potiùs tecum in terra peregrinari, quam sine te cœlum possidere. Ubi tu, ibi cœlum: atque ibi mors & infernus, ubi tu non es. *Lib. 3. c. 59.*

Lege totum hoc Caput, quod est ultimum Libri tertii, & multum inde solatii capies.

25. Quis mihi det Domine, & inveniam te solum, & aperiam tibi cor meum, & fruar te, sicut desiderat anima mea; nec ulla creatura me moveat, vel respiciat; sed tu solus mihi loquaris, & ego tibi, sicut solet dilectus ad dilectum loqui? *Lib. 4. c. 13.*

26. Ah! Domine Deus, quando ero tecum totius unitus, & abſorptus, meique totaliter oblitus? *Lib. 4. c. 13.*

27. Tu in me, & ego in te; & ſic nos pariter in unum manere concede. Verè tu es dilectus meus, electus ex millibus, in quo complacuit animæ meæ, habitare omnibus diebus vitæ ſuæ. *Lib. 4. c. 13.*

28. Verè tu pacificus meus, in quo pax ſumma & requies vera, extra quem labor & dolor, & infinita miſeria. *Lib. 4. c. 13.*

29. Verè tu es Deus abſconditus, & conſilium tuum non eſt cum impiis, ſed cum humilibus & ſimplicibus ſermo tuus. *Lib. 4. c. 13.*

30. O quàm ſuavis eſt Domine Spiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demonſtrares, pane ſuaviſſimo de cælo deſcendente, illos reficere dignaris. *Lib. 4. c. 13*

31. Verè non eſt Natio tam grandis, quæ habeat Deo appropinquantes ſibi, ſicut tu Deus noſter ades univerſis fidelibus tuis. *Lib. 4. c. 13.*

32. Magnus clamor in auribus DEI eſt, ipſe ardens affectus animæ, quæ dicit: DEUS meus, amor meus: tu totus meus, & ego totus tuus. *Lib. 3. c. 5.*

Verba hæc excerpta ex Libro de Imitatione JESU Christi, possunt animam suaviter ac utiliter occupare in Oratione, & post sacram Communionem.

SCIENTIA SANCTORUM NOSSE MORI

I. NECESSARIA OMNIBUS.

Nemo

ITa vivit ſcelcratè, quin optet Mori bene,
Deſperatiſſimæ Vitæ eſt,
qui Mortis bonæ caret Voto.
Roga, quem voles improbum;
Taliſne mori velit, qualis vivere audet?
Offendes Neminem,
Ita parùm ſolicitum ſui, cautum futuri:
Niſi, qui aut Deum neget, aut Inferos neſciat.
aut rideat æternitatem:
Quod itaque adeò eſt in votis, cur non præſtatur factis?
Quod ſperant omnes: cur pauci curant?
ita multis vivitur,
Ut ſperari, niſi miraculo, mors bona non poſſit.

Cur rejicitur
In tempus alienum, quod haber suum?
Quod, dum negligitur, nunquam tempori
præstatur.
Cur aliquando facturum statuis,
quod aliàs, aut non poteris, aut non voles?
Et jam dum potes, negligis?
Vis dicam, quò *Vivere* differas?
Dum *Mori* cogeris.
Voles scilicet, cùm erit desimendum, incipere,
At, quæso te,
Unde ista bonæ *Mortis* fiducia,
Cùm nulla præcedat bonæ *Vitæ* cura?
Nunquid mereberis Vivendo malè, *Mori* benè?
nunquid,
Qui *Viventem* misericorditer tolerat,
Mortuum justè non judicabit?
Disce ergo *Mori.*
Id non discere, id nescire, ac ne scire quidem
velle, pessima est inertia:
Quæ te, ne occupet, omni industria tua pro-
vide.
De te agitur: age non segniter.
Negotium istud, negotiorum summum est;
Lucra in eo damnaque vertuntur æterna.

II.

EXPERIENDA SEMEL,

Momentum est,

Quo experienda hæc scientia est:
Adeò quippe *Nosse Mori*, arduum est,
Ut, cùm illud annis centum didiceris,
Me-

Momento solùm unico experiaris.
Ad Momentum ergo istud,
per omnem te vitam exerce.
Nulla satis diuturna ad id disciplina est,
Nulla sera, nisi cùm jam proximum est:
Omnes eodem Spes tuæ ac Timores,
Curæ omnes, Solicitudines,
omnes Cogitationes, & affectus spectent;
Ad illud, confluent omnia mala tua;
quæ cùm plurima sint, & spontanea,
unde fiducia reo?
Sapies, si tempori expies;
Ad illud concurrent omnia bona tua,
quæ si modica sunt, si imperfecta insuper,
unde solatium judicando?
auge, dum dotes, & perfice.
Ad illud comitabuntur te omnes pravæ
consuetudines tuæ,
Vitiorum tuorum nutriculæ;
quas tu, qua ratione cohibebis tunc,
cùm natura erit infirmior, impetus vehementior,
Gratia, quia neglecta, minor?
Exscindes, si melioribus corrigas.
Ad illud sequentur te omnes affectiones tuæ,
Timores, ante alias, & angores:
quod tu, qua ratione frænabis infirmus,
cùm vincaris, sanus;
oppugna, ut vincas:
Ad illud sistent se omnes tuæ obligationes,
quibus Deo teneris, & Proximo,
non recessuræ, quoad te expediveris.
Id tu poterisne tunc,
cùm aut nihil, aut parùm poteris?

age ergo, ut nihil cuiquam debeas,
nisi ut diligas:
Ad illud adrepent omnes pœnæ tuæ,
tam, quæ ex culpis dimissis sunt relictæ,
quàm quæ ex novis commissis sunt additæ;
quando verò, & ubi expiabis?
diluas in tempore, ne luas in æternitate.
Ad illud properabunt omnes adversarii tui,
extremùm te, & vires tuas experturi:
qui cùm te sæpiùs victo, animosi sint,
ac tum, te infirmo potentes,
quæ spes Victoriæ?
Resiste, dum firmus es, & infirmus non timebis.
Ad illud præstò erit Angelus tuus,
tot suis, per annos plures, obsequiis,
de te optimè meritus, à te pessimè habitus;
quod expectabis ab illo
Vitæ tuæ Testimonium? quod Salutis Patrocinium?
audi momentem Vivus, & senties juvantem
Moriens.
Ad illud convenient Patroni tui,
si tamen
aut elegisti aliquos, aut aliquando coluisti:
Quod si neglectum est, quis patrocinabitur?
Elige, quos libet, cole, ut decet.
Ad illud denique aderit Judex tuus,
qualis, heu! si offensus?
Et quomodo sustinebis offensum,
Cujus, ipsis intolerabilior inferis, offensa est:
Quò evades Immensum?
Quomodo resistes Omnipotenti?
Quaratione falles Sapientissimum?

Ne Judicem timeas, ut Patrem dilige.
Heu! *momentum*!
Omni *tempore* potiùs,
Si felix eſt, deprædicandum,
Si infelix, deplorandum
æternitate.
Quod ut terrori non ſit, utere Tempore;
Uſura Temporis,
Fœnerare *momentum* unicum;
momento unico,
æternitatem.

III.

DISCENDA SEMPER.

Unde verò,

Cùm *Mori*, niſi ſemel, nulli contingat:
At *Mortis* nihilominus Diſciplina eſt,
Et diſcitur *Mori*, & docetur.

DISCE A VITA.

1. Quæ quantumvis à *Morte* abeſt longè,
Mortis præludium eſt;
Quòque prorogatur diutius, hoc minuitur amplius:
Et quos annos numerat tranſactos,
Totidem invenit ſibi detractos,
Morti adjectos.
2. Quæ die vix toto peracto, in ſuam ſenſim quietem deſinit,
Somnóque, *Mortis* Fratri, reficienda traditur.

3. Quæ infirmitatibus ſuis morbiſque ob-
noxia;
Cùm conſiſtere ſe credit, diditur,
Et cùm annos impoſterum plures computat,
Mortalitatis ſuæ à *Mortis* prodromis ad-
monetur,
4. Quæ neceſſitatibus ſuis obligata,
Niſi paret, cùm jubetur,
Imperio *Mortis* ſubjicitur:
Adeò à cibo, & potu,
Quibus *Vita* alitur, *Mori* diſcitur.
5. Quæ periculis ex omni aditu objecta,
Mortem frequenter, ubi non timet, op-
petit.

DISCE IN VITA.

Nulla *Mortalibus* ſcientia convenientior,
Quàm *moriendi*:
Quam qui fuiſſent olim conſecuti, Sapientes
ſunt habiti;
Quando Sapientia nulla fuit credita ſublimior,
Quàm *Nôſſe Mori*.
Quòd ſi jam *Mori*, eſt deſinere *Vivere*,
Mori bene novit,
Qui in *Vita* bene novit deſinere.
Ut bene deſinas, bene incipe,
Semper profice, conſtanter perfice.

Id ut diſcas,

ASSUESCE BONIS.

Vivénſque tibi redde familiare,
quidquid exercere moriens voles.

non aliter infirmitati tuæ prospexeris meliùs,
magna illa in Vita est,
in morte, multò maxima:
quando, quidquid usus non reddidit facile,
usurpatu erit difficile.

I. COGITANDIS.

Occurret citò, quidquid cogitaveris crebrò: ac 1. Ideam tibi aliquam divinæ amabilitatis ex infinita bonorum ejus copia,
Et inexhausta Beneficiorum tibi præstitorum ubertate forma.
Vide Sapientiam ejus, novos identidem tibi benefaciendi modos adinvenientem;
Omnipotentiam, meris tui beneficiis occupatam: ut levissimo in te suscitetur monitu,
ut in Spem erigat,
ad amorem inflammet.
2. Pertracta frequenter tecum
Terrenorum vilitatem; ut deserenda non crucient?
Cœlestium dignitatem; ut acquirenda animent, aspice præsentis vitæ calamitatem:
prospice infellicitatem alterius.
Cogita
Hospitii brevitatem; Patriæ Æternitatem;
Illius moras, hujus solatiis demulce.
3. Prævide, quæ Morituro sint eventura?
ut cogitandi usu familiaria,
Expectentur animosiùs, sustineantur constantiùs, ac totam illam
decumbentis tui, ac morientis
seriem evoeve.

&

& quibus tum voles indulgere cogitationibus,
usurpa sanus;
quos experiri affectus,
ad eos te exerce,
Eáque, quibus noles tum angi, jam amolire.

II. AFFECTIBUS ORDINANDIS.

1. Timori imprimis:
Ne ita culpam aspiciat,
ut veniam non speret.
neque ita pœnam horreat,
ut Christi meritis derogat.
Time ut Filius, non ut Servus.
Time ante Mortem, ne timeas in Morte.
Time ad Pœnitentiam, non ad Desperationem.
2. * Spei etiam:
ut firmis nitatur fundamentis,
unde nullus deturbet impetus.
quæque speras æternùm, provideas tempori:
itáque speres,
ut, neque tu spei, nec spes tibi desit;
Sperare enim velle, & Spei nolle cooperari,
non sperare, sed præsumere est.
3. *Amori* deinde,
Ne ita adhærescat ad creaturam,
Ut offendat Creatorem,
Neque ita delectetur usurâ, ut crucietur jacturâ:
Ama,
Sed illum, qui amantem redamat,
& amando felicem efficit,
quem amare non potes, & miser esse,
4. *Odio* item:
Ut culpam oderis, non personam.

Et

Et illam quidem ita, ut expiare studeas,
non vindicare.
Odieris, licet, sed non, quod Deus, amat,
ne in divinum sis amorem injurius;
sed neque quod tu ipse beatè æternùm
amabis.
Oderis, quod amari nunquam meretur, peccatum:
quod non odisse, est exitium suum amare.
Peccatorem adeò non oderis, ut amare,
etiam invitam cogas naturam;
ne assuetus odisse, desinas in odio,
Filius iræ æternus.

5. *Gaudio* insuper,

Ut sit, non fucatum, sed sincerum;
non de bono, quod mali causa est;
Multò minimè de malo, quod bono inimicum:
infeliciter gaudet, qui in luctu desinit.
Gaude, quòd nomen tuum sit scriptum in
libro vitæ.

6. *Tristitiæ* denique

ut nihil doleat, nisi
aut conscientia mali, aut jactura boni:
Cætera, si affligant, non dejiciant;
mensura doloris, Dei offensa sit,
cui placando dolere Volo; non angi,
quidquid justo addis dolori,
Tuâ, non Dei causâ dolore, convinceris.

III: BONIS AGENDIS.

Bene agis, quidquid cum Virtute agis,
Virtus est,

quidquid actionis bonæ in bonum finem dirigitur

nihil ergo mali in bonum finem age,
nihil boni ab finem malum

Sed nec quod bene ſuſcepiſti, male proſequere,
quicquid autem cœperis malè, fini bene.
Non potes non, quoad vivis, agere aliquid,
debes autem nihil agere malè:
ut bene agas omnia, attende ſingulis,
Et quod voles, vitam bene claudere,
Bene, in vita exerce,
Virtutes maximè
Sine quibus vivere, uti hominis non eſt,
cujus vitam à pecude Virtutes ſecernunt,
ita mori ſine iisdem; non eſt Chriſtiani;
utrumque infeliciſſimum.
Virtutes ut habeas familiares, frequenter
exerce illo, qui infrà ponetur, aut alio,
quo libuerit, modo.

IV. MALIS TOLERANDIS.

1. Animæ nihil malum eſt præter peccatum,
moleſtum eſt, quicquid contrarium eſt,
Illud in te non feres ne momento quidem.
Hîc ſolùm laudis eſt, impatientem eſſe.
In aliis feres, quod corrigas, aut ſi id non
potes, condoleas.
Hoc ferre, Virtutis eſt; vincere, Felicitatis;
moderari, cùm vitio tuo accidit, Æquitatis:
providere, ne accidat, non Naturæ, ſed Gratiæ'
2. Corpori quicquid moleſtum eſt,
malum eſſe putatur.

utrum-

utrumque unde eveniat, ferendum eſt,
tantò futurum gravius, quantò fertur iniquiùs;
tantò levius, quantò toleratur faciliùs
Diſce ferre, quod dolet Vivo, ut feras,
dolores *mortis*.
patiendo *mori* diſcitur:
Unde eveniat, quod pateris, parùm labora:
eveniſſe, conſcio Deo, ſatìs eſt
Ille ſi quid adverſi immiſerit? feres æquiùs,
quia paterna à manu eſt;
Si quid permiſerit, patere inferentem,
Suſpice permittentem:
Dei tui Vicarius eſt,
quisquis pœnas illi debitas, à te expoſcit
Inimicus certè tuus non eſt; ad virtutem,
rem optimam, te exercet:
quam tu diſciplinam ſi recuſas, peſſimus
es diſcipulus:
Tu ipſe ſi tibi moleſtus es, ſuſtine,
ſi culpâ tuâ, quia pœna eſt.
Sin minùs, ultro ſuſcipe, quia meritum eſt.

DESUESCE MALIS
I. COGITANDIS.

Coge ad Examen Cogitationes tuas,
diſcerne vitioſas,
Vide, quæ ultro ſe ingerant, quæ accerſantur,
quæ citiùs præſtò ſint, quæ frequentiùs re-
deant,
quæ familiariùs, quaſi domeſticæ ſequantur,
quæ blandiùs, velut amicæ, ſe inſinuent.
Obſerva, quæ foris occaſione, quæ intus
motu ſuſcitentur,

Cui maximè Virtuti ſint contrariæ,
an contra Fidem dubiæ, contta Spem infirmæ,
contra Charitatem malignæ.
an contra Deum blaſphemæ, aut impiæ,
contra Proximum iniquiæ, de Proximo ſiniſtræ,
circa teipſum illicitæ.
Et ſi quas offenderis in conſuetudinem ductas,
contra eas potiſſimùm te muni.
Salutares primò, iiſque contrarias ſubſtitue,
occaſiones deinde præclude.
habe in promptu, quo te occupes;
prævide, quo declines.
Recipe te
modò ad Montem Oliveti, aliàs ad Calvariæ;
ibi Sanguinem ſudantem, hìc fundentem,
vide Deum tuum:
nunc in Vulnera ejus ſanctiſſima te abde,
mox in ſinum caſtiſſimæ ejus Matris.
aſcende nonnunquam ad gaudia Beatorum;
aliquando deſcende ad tormenta damnatorum.
vide iterum, quàm breve ſit gaudium
Cogitationis, quàm longum ſupplicium.

II. APPETENDIS.

Scrutare Appetitiones tuas:
alteram illud eſt in te malorum ſeminarium:
nullum cuiquam earum vitium indulge,
ſed nec diſſimula,
quidquid ſenſeris
aut inordinatà appeti, aut immodicè declinari,
ad mediocritatem voca;
vide

qui-

quibus agiteris amoribus, quibus traharis desideriis.
quæ te odia stimulent, quæ iræ inflamment,
quos alas timores, quas spes nutrias:
produnt ipsæ se,
aut fine, in quem feruntur, aut modo,
quo feruntur:
Et bene ferri possunt, & malè,
si malè,

DESUESCE.

Dum in naturam vitium nondum transiit.
neque adhuc cupiditas, facta est necessitas.
Noveris,
quidquid extra virtutem apetis, vitium esse,
in Virtute quicquid fugis, Errorem esse,
ut bene appetas, rectè judica, justè pondera:
quod parvi facis, parùm desideras.

III. AGENDIS.

Cita ad Tribunal Conscientiæ,
Omnes tuas actiones.
à prima, manè, Vigiliâ incipe, in somno desine.
Omnia tua studia, omnes percurre occupationes.
Vide, quid Dei, quid tuâ, quid proximi gratiâ agas.
qua ratione te impendas devotioni, labori, Conversationi,
quid Corpori tribuas, quid animæ.
Observa, quid cuique desit; quid redundet.
Actionis anima, honestas est, & bonitas,

Ornamenta ſunt, ſolertia, celeritas, aſſiduitas,
vigilantia, attenti, Conatus;
Sine honeſtate, vitam non habet actio,
manétque cadaver, quamcunque ornes.
ſine Ornamentis, ſi vitam quidem habet,
Vigorem non habet, nec decorem,
Quidquid porrò, aut mali agis, aut malè,
quicquid ita agere aſſueviſti;
dediſcendum eſt.
Quod ſi Conſuetudo te aut ignarum trahit,
aut facilem ducit;
habe, quo impetum ſequentis tui frangas,
objice ſcopulos, ad quos allidas;
Inſpice facti turpitudinem, pœnam proſpice,
paratam impoſterum, à tergo ſequacem,
Poſtquam verò ſtiteris, urgentem,
pedum deinde refer, & in contrarium enitere,
quò ut facilem trahas animum,
convince rationibus, promiſſis allice,
præmiis demulce.
Conſuetudinis porro
aut obolendæ, aut confirmandæ, ut aliqua ſit,
quam ſequaris, via,
ſic procede.
1. Agendum aliquid, aut prætermittendum,
firmiſſimè tecum ſtatue:
2. Momenta utriusque, & argumenta in
promptu habe-
jubet ſcilicet Lex ſuprema,
confirmant Sapientûm Teſtimonia;
Monſtrant Bonorum Exempla;
Suadet ſalus; Ratio dictat;
urget periculum;

ne, cùm velis agere bene, non possis,
cùm nolis agere malè, agas tamen;
idque tum,
Cùm ultimum, aut bene, aut malè ages,

3. Ex his æstima, agendi & prætermittendi,
parem necessitatem:
illius utilitatem, hujus perniciem,
illius dignitatem, hujus turpitudinem.

4. Quod ut frequenter occurrat animo,
Memoriale aliquod tibi statue,
aut monitorem etiam aliquem constitue.

5. Adverte ad agendi, aut omittendi difficultatem
eámque non actionis esse, aut omissionis noveris, sed voluntatis:
quæ si prompta est,
æquè facilè, aut sistet actio, aut sequetur:
promptam ratione efficiet & meditatio.

6. Implora & de cœlo Gratiæ subsidium,
quo naturæ malè propensæ flectas duritiem.

7. Profitere Deo tuo, te hoc agere, aut pati,
illud fugere paratum.
quicquid minùs prompte fiat,
non arbitrii esse, sed pravæ inclinationis.

8. Admove piam aliquam ipsi tibi violentiam,
& ad pœnam aliquam te Deo tuo obliga;
si ad numerum, quem tibi statues,
aliquid, aut non agas, aut non omittas.

9. Admitte denique à conscientiæ tuæ moderatore.
aliquam ad id obligationem,
quam tibi in expiationem peccatorum
imponat.

10.Deſigna tibi tempus aliquod,quo hoc tuum propoſitum excutias: & explora, quantùm aut profeceris, aut defeceris.

DISCE A MORTE MORI

1. Mors ſeparat animam à Corpore.

Separa & tu à Corpore animam, non morte ſed *Mortificatione.*

non contineat ſe anguſtis Corporis limitibus animus tuus.

non adhæreat illi vitioſo affectu, cui conjunctus

eſt neceſſario naturæ nexu.

ſepara ab illo Cogitationes, abſtrahe affectiones,

noli, quæ corporis ſunt,amare nimis impensè;

noli deſiderare nimis cupidè,

noli anxiè nimis curare.

2. Mors à Charis omnibus avellit.

Præveni & tu mortem mortificatione,

ut non rapiatur inordinatè,

non adhæreſcat vitiosè:

Ama non tuâ, ſed Dei tua gratiâ;

non quia placet tibi forma Corporis,

ſed quia in anima reſplendet Imago Dei.

3. Mors adimit omnia Fortunæ bona.

id ne ſine queſtu tuo accidat,

mortem tempori præoccupa,eáq; præmitte eò

ubi perpetuâ eorum uſurâ es fruiturus.

Divide eum indigentibus;

Expende in uſum ſalutis tuæ, & cultum Dei

néve id cum dolore tuo eveniat,

abſtrahe affectum ab illis, quæ habes;

aut

aût, si non habes, appetitum cohibe.

4. *Mors doloribus discruciat,*

ut feras dolores mortis, assuesce molestiis vitæ
nec contentus ferre oblatas, accerse ultro.
morere Corpori, per spontaneas afflictiones.
morere sensibus, per eorum abnegationes.
Laboribus te exerce, para doloribus.
Mors ferit mitiùs, quô minus habet, quod
lædat.

5. *Mors delicias omnes & delactationis subtrahit.*

non senties earum jacturam moriens.
si vivus iis carere didiceris;
sed & facilè repudiabis Carnis,
si gustaveris oblectationes spiritûs;
non æstimabis caducas,
si respexeris æternas.

4. *Mors angit* futurorum ignoratione,
præteritorum recordatione, præsentium
horrore.
Disce mori, spem compara, ut non angant
Futura:
pœnitentiam usurpa, ut non crucient
præterita;
Culpas in te dilue, pœnas â te exige.
Præsentibus te para: acquire amicos,
qui non destituant: delige Patronos,
qui succurrant.

5. *Mors* vitæ & Gratiæ tempus claudit:
tu certa cum velocissimo;
& quod sistere non potes, in cursu intercipe;
usurpa de illo, quidquid concessum est,
nec secuturum aliquid tibi promitte.
Diem omnem transige, ut ultimum,

Horam omnem, ut ſupremam.
nec, ut ſperes, quod incertum eſt,
certi aliquid dimitte.

I. Mars ſupremo ſiſtet Judici
Mortem, præveni; ſiſte illi te quotidie,
quem ſemel Judicem habiturus es:
prælude etiam judicio illi in vita,
Erige Tribunal in corde tuo,
Teſtem accerſe conſcientiam,
cogitata, dicta, facta eodem cita:
Tu ipſe Reus, Judex, Vindex eſto,
neque, quod nolis ſuſtinere poſt mortem,
in Vita diſſimula.

9. Mors aufert è Tempore & tranſcribit,
Æternitati:
Imitare & tu Mortem vivus,
ac degens in tempore, conſidera æternitatem.
ſed & aufer tempus cogitationibus vanis,
verbis otioſis, cogitationibus inanibus,
ac melioribus conſecra;
iis ſcilicet, quæ egiſſe in tempore, gaudebis
in æternitate.

10. Mors denique, quod in te Vivo non poteſt,
in proximo Mortuo tibi exhibet.
Diſce mori, ſi non in te, qui vivus es,
ſaltem in altero,
quem è vivo tui ſimili mortuum vides,
& quod in illo vides certum
in te dubium non puta.

DISCE QUOTIDIE MORI.

Dirige ad mortem dies ſingulos,
& manè incipe, procede per diem, tanquam
veſperi moriturus.

ac 1. simul atque experrectus à somno fueris,
mortalem te cogita,
adeóque certo moriturm, quàm certum est,
non fallere Veritatem, non errare Fidem.
Mortuos non vivere
plures ea nocte mortuos, plures eo die
morituros,
te ad meliorem diei istius frugem superstite.

2. Pete à Deo, vitæ & mortis Domino,
ita diem istum transigere, ut si ultimus esset,
atque ut transactum fuisse, in morte voles.

O Supreme vitæ Mortísque Domine! scio me Mortalem, credo me moriturum: Tu dona gratiam, ita vivendi, ut mori non timeam; ita moriendi, ut æternùm vivam.

3. Missæ sacrificium, cogita mortui pro te
Christi monumentum.
quem dum mortuum credis, moriturum
te non dubitabis,
ac per illius mortem,
Salutarem moriendi horam rogabis;
eóque ante mortem, Corpore refici, quod
pro te nôsti in ara immolari.

4. Venerare peculiariter Patronos,
quos vitæ mortísque singulares tibi,
in omnes diei horas elegisti:
& ut morituro assistant, roga.
nominatim illos, qui & morienti in Cruce
JESU,
& in lectulo, Matris ejus Mariæ adstiterunt.

5. Ad horas omnes, renova mortis memoriam,
& cogita, tantò te illi esse propinquiorem:

 po-

poteris illud ad clausulam salutationis Angelicæ.

6. Si quid molesti accidat, aut operosi,
præludium mortis cogita;
& disce mori à mortificatione.

7. Morituris, si ita res tulerit, assiste;
Et in eis mortalitatem tuam contemplare.

8. Dum corpori vacas curando, Escam te
vermibus puta saginare: hòc lautiorem,
quò curas impensiùs,

9. Vivus quandoque sepulchrum per cogitationem ingredere, & qualis illic futurus sis,
observa: ac intra cutem tuam ossa, mortalium simillima intuere,

10. A die transacto, cæterorum cape argumentum, annosque, quos vixisti, ad calculos revoca; quære, quot sis deinceps victurus;
& audi, illud: Stulte! hac nocte, &c.
Et qua hora, non putas &c.

11. Conscientiam tuam ante somnum inspice,
& pensa, eámne offerre morti audeas?
ac cum rationes ejus ita compone,
ut si non esses supervicturus:

22. Cùm cubitum secedis, & ad lectum te comparas, aliquem, eo in opere mortis processum cogita, nec aliter te loculo
atque lectulo imponendum,
solo ex omnibus facultatibus tuis linteo
coopertum
ac tum, veluti crastinum non habiturus,
Testamentum tuum conde:
Hæredésque tuos JEsum scribe & Mariam,
ut verò dormias suaviùs, moriturus securiùs
inter

inter JEſum & Mariam, Angelum tuum
& Joſephum te colloca:
quos inter mori optabis.

VIRTUTES.

Frequenter per vitam uſurpandæ,
ut morituro ſint familiares.
Quan do, quidquid in conſuetudinem vitæ
non tranſiverit, operoſum erit, exercere,
Has te aut harum ſimiles, ſi non vacat
quotidie,
ſingulis minimùm hebdomadis ſemel
uſurpa.

FIDES.

O Deus veritas! quanto tuo beneficio inter tot errantes in tenebris Gentium myriades, ego illuſtratus Fidei Lumine, video & credo!

O veritas! reverbero in te lumen illud, & Credo, quicqnid unquam revelâſti, & per Eccleſiam ſponſam tuam, Matrem meam, credendum propoſuiſti.

Submitto tibi captivum intellectum meum, & quicquid de te non capio, per te credo: quicquid non intelligo, humiliter amplector, firmiſſiméque teneo;

Te trinum, eſſe & Unum; Deum & Hominem: Creatorem, & Conſervatorem; Redemptorem & Juſtificatorem; Teſtem & Judicem; Vindicem & Remuneratorem.

In-

Infinitè ſapientem, ut nihil ignores,
Omnipotentem, ut omnia poſſis.
Optimum, ut omnia communices,
Miſericordem, ut parcas pœnitenti.
Juſtum, ut damnes reum:

Veracem, ut non fallas; Simplicem, ut non mutes; authorem boni omnis, quicquid in præſens habeo, & ſpero impoſterum, ac quicquid breviſſimo tempore ago boni, æternis te præmiis compenſaturum: quicquid memento unico ago mali, æternis te ſuppliciis vindicaturum.

Et in hac fide per gratiam tuam opto vivere, ſpero mori.

Ac contra errores omnes, ab ea alienos proteſtor.

Tu, O Veritas, Lumen hoc in me auge, in aliis Te ignorantibus accende:

Et da, ut in eo, per ſemitas Juſtitiæ unanimiter omnes, ad felicem ambulemus Æternitatem.

SPES.

O Deus Fidelitas! quàm iterum tuo beneficio, tot inter deſperatos, ego promiſſis tuis fretus, ſperare non deſino.

Jacto in te, quam habeo à te, ſpem meam: promiſiſti mihi pœnitenti veniam, Supplicanti Gratiam, perſeveranti Gloriam, Conſilium in dubiis, ſolatium in adverſis, ſubſidium in periculis.

Ecce amplector toto ſinu ſpei meæ promiſſa tua, & certus ſum, ſi ſperare non deſiero promiſſis te non defuturum.

Tametsi ergo tentet Diabolus, stimulet cupiditas, blandiatur Mundus, mors minetur, & omnia in me conjurent Elementa, non timebo mala, quoniam tu mecum es.

Quid enim timeam, quando tu me protegis, qui es omnipotens, qui me infinities ampliùs studes servare, quàm omnes mei adversarii perdere?

Quid contrister? quantumvis destituar viribus Corporis per infirmitates, animi Solatiis per afflictiones, vitæ subsidiis per egestatem, Hominum adjumentis, per orbitatem quoad tu me non destituis, in quo solo invenio omnia?

Quid non sperem ab omnipotentia, cui nihil est difficile; à Sapientia, cui nihil incognitum: à Bonitate, cui nihil molestum? quæ quicquid vult, potest; quicquid promittit, præstat: & liberaliùs etiam, quàm ego sperem; cupidiùs, quàm ego desiderem?

Quid non expectem ab eo, qui dedit non rogatus, illum, quo nihil habuit charius, Filium suum,

Qui, ne vacillet spes mea; obligavit mihi suam divinam Fidelitatem: promissa firmavit Sanguine, Corpus suum oppigneravit?

O Deus spei meæ! quid non speret amicus tuus, qui etiam inimicis tuis promittis omnia?

Quem rejicias ad te conversum, qui etiam à te aversum invitas, solicitas, & passis brachiis expectas?

Spero

Spero veniam, pro quo interpellat innocens ſanguis Filii tui.

Spero vitam, pro quo in mortem author vitæ Filius tuus dedit animam ſuam.

Spero ſalutem, pro quo video laborare omnipotentem Filium tuum usque ad mortem.

O JEſu ſpes mea! tanta eſt Bonitas tua, ut in ea, etiam peſſimus ſperem.

Tanta eſt Beneficentia tua, ut meritò in eam, etiam ingratus ſperem:

Tanta eſt miſericordia tua; ut, quò ego ſum miſerior, hoc ampliùs à te ſperem:

Eſto ergo, Peccator ego ſim; Tu meus Fidejuſſor es.

Ingratus ego ſim: Gratia tua omnem meam excedit Ingratitudinem.

Indignus ego ſim; Excellentia tua omnem meam ſuperat Indignitatem:

Miſer ego ſim; major eſt miſericordia tua.

Merita mea nulla ſunt: tua infinita ſunt. Age ergo anima mea! ſpera in Deo tuo: Erige te de terrenis, exurge ad cœleſtia; Deſere caduca, ſpera æterna: Renuncia hoſpitio, ad patriam anhela. Tibi conditum eſt pulcherrimum illud Cœli Palatium: Conſortes tui erunt Angeli. Amici tui Beati. Beatitudo tua Deus: Tu beatus æternum.

CHARITAS DEI.

O Deus Bonitas! quanto amore meo dignus es, qui, cùm te tot damnati oderint, non ament tot reprobi, amari à me velis, & amore meo me facere beatum!

Amo itaque te ex toto Corde meo.

In te, amabilissimum, quia Deus es: Cujus natura Bonitas est: Cujus intellectus Sapientia est: Cujus voluntas, Amor est? Cujus Forma Pulchritudo est: Cujus Potestas Omnipotentia est: Cujus Vita Beatitudo est: Cujus locus, Immensitas est: Cujus Tempus Æternitas est.

Amo te ex toto Corde meo.

Extra te, amabilissimum, quia Deus meus es, ubique tui erga me amoris imprimens vestigia: quocunque enim me verto, amorem video: quicquid de te cogito, amantem invenio.

Æternitatem considero? inde usque è tot reprobis seligis me. Tempus cogito? è nihilo condis me, & in tempore quidem, quot modis amabilis est?

Quàm amabilis Creator es, qui solius ductu amoris ad Imaginem tuam creas me; & totum mundum propter me!

Quàm amabilis Conservator es, qui non minore amore me conservas, & mecum ac propter me cætera omnia!

Quàm amabilis Redemptor es, qui tam admirabili amoris prodigio, perditum me sanguine tuo reparas!

Quàm amabilis Sanctificator es, qui tam gratuito amoris beneficio, vitâ gratiæ me donas!

Quàm amabilis Protector es, cujus Amor è tot periculis, toties me eripuit!

Quàm amabilis Rex es, qui amoris tui divinâ munificentiâ in partem Regni tui me admittis!

Quàm

Quàm amabilis Dominus es, qui amore ſervi captus ad ſolium Gloriæ tuæ me evehis!

Quàm amabilis Pater es, qui degenerem Filium, victus amore, in gratiam toties recipis!

Quàm amabilis Sponſus es, qui amore tuo poſt tam fœda, toties iterata divortia, me dignaris?

Quàm amabilis Judex es! qui Amore tuo mitigatus, tot annis ſententiam differens, ad pœnitentiam me expectas.

Toties amabilem, tot modis amantem me, amo ex Corde, ô Deus! illúdque per amorem tuum, cui negarè nihil potes: ex amore rogo, ut quæcunque ex amore mei creáſti, ſint amoris mei adjumenta; quæcunque in carne pro me aſſumptâ ex amore feciſti, aut ſuſtinuiſti, ſint amoris mei fomenta: quæcunque in Cœlis promiſiſti, ſint amoris mei nutrimenta: donésque me amare te ſuper omnia, denique in amore vivere, & ex Amore mori.

CHARITAS PROXIMI.

O Deus! non in te ſolùm, ſed in tuis omnibus amabiliſſime, amare te non poſſum, & proximum meum, imaginem tuam, odiſſe; Sed nec amare perfectè, & proximum etiam inimicum non amare.

Amo itaque ex corde, omnes, communi conditionis vinculo mihi copulatos: Amicos pariter & inimicos propter te amo, cujus ge-

runt

runt imaginem per naturam, similitudinem per gratiam; in quo solo sunt amabiles; extra quem si amantur, vitiosè amantur.

Amo eos, quia & mandato tuo amare præcipis, & exemplo tuo amare doces: amâsti verò ita ab æterno, ut in tempore creâris ex nihilo: amare etiam æternùm paratus es, modò ne amore tuo se præstent indignos.

Amo illos, & quicquid in illis tuum est: detestor vero, quicquid illis non tuum, sed alienum est, quale solum & unicum peccatum est: quod etsi tuo illos amore indignos reddit, nihilominus reddit obnoxios: quia uti amare culpam non possum, ita odisse personam non debeo.

Amo illos & semel amatos æteruùm amare desidero; quo amore ut digni sint, optare ego possum, tu solus præstare.

Ut verò etiam amare me probem imposterum, amorem illum conceptum Corde, testabor Ore! Conciliabo mihi offensos, & offensam, si quæ ab iis venit, excusabo: vitii quicquid notâro, si licet, emendabo; verbulo certè nullo exasperabo: Opere etiam probabo, amoliârque ab iis, quicquid verè malum videro. Conabor verò, quicquid salutare Corpori, animæque cognôro omni ope, industriáque mea procurare. Vertam in partem meliorem, quicquid sinistrum occurrerit, non reddam certè, sinistrè judicando deterius.

Cui quidem amori meo, quicquid mihi aut ab illis contrarium fuerit illatum, aut ab affectu meo mihi suggestum, jam nunc detestor. Et hunc amoris mei erga omnes, promiscuè,

ſenſum, uti te teſte profiteor, ita te adjutore, retinebo, ſperoque, in iſto Amore & vitam agere & mortem obire.

CONTRITIO.

Ecce mi Deus! & advolvor ad thronum Miſericordiæ tuæ reus & ſupplex, rogóque te per omnes tuas miſerationes:

Per æternum tuum erga me Amorem, per ſuſceptos in carne noſtra pro me Labores.

Per internos, graviſſimóſque pro peccatis meis animi tui Angores & Dolores.

Per omnes Corporis tui cruciatus, in Paſſione, cruce Morte, toleratos.

Per accepta pro me vulnera, & fuſum copioſiſſimè Sanguinem.

Per omnes irrogatas Nomini tuo ignominias.

Per omnia Vitæ, & mortis tuæ merita.

Per merita item Virginis Matris tuæ, Angeli mei Tutelaris, Patronorum meorum, & Sanctorum omnium, eorúmque & Electorum omnium ſuffragia.

Reſpice illis me oculis, quibus Petrum te negantem, Paulum perſequentem, Matthæum in telonio ſedentem, Magdalenam ad pedes tuos jacentem, Latronem in cruce pendentem reſpexiſti: & præſta veniam, quam non merui; Gratiam, quam perdidi; miſericordiam, quam neglexi.

Doleo de te offenſo, tam amabili Deo meo, quem amo ex intimo corde, & amare æternùm deſidero, ac

Dete-

Deteſtor omnia peccata mea, negligentias, ingratitudines, & imperfectiones & quicquid unquam contra infinitam tuam Majeſtatem, cogitatione, verbo, opere omiſſione deliqui.

Eja mi Salvator! memento nomen tuum, & ſalva me perditum.

Si magna ſunt, quæ commiſi; major eſt Bonitas tua, cui ſupplico.

Si magna ſunt mea debita; majora ſunt tua merita.

Quomodo non recipies ad te converſum, qui à te averſum, invitâſti ex Amore, quæſiviſti cum Dolore?

Quomodo rejicies Miſerum, qui es Filius Pater Miſericordiarum?

Quomodo deſtitues deſolatum, qui es Deus totius conſolationis?

Quomodo non parces ſupplici, qui pro Reo mortuus es?

Eja Pater, reſpice Filium, memento illum non pro te, ſed pro me, non pro ſuis, ſed pro meis peccatis eſſe mortuum.

Potuíne ego plùs te offendere, quàm ille te placare.

Quòd ſi inire rationes mecum velit Juſtitia tua, ecce offero Theſauros Filii tui, infinities debitis meis majores.

Si minus ille pro me præſtitit, quàm ego contra te peccavi, utere in me jure tuo.

At minùs ego poſſum offendere, quàm ille placare; minùs ego mereri, quàm ille ſuſtinuit.

Ecce Pater! in Filio lytrum meum! Ecce è vulneribus ejus, è manibus, pedibus, latere stillat, quod offero!

Respice Pater Filium unigenitum, & recipe adoptivum.

RESIGNATIO.

O Supreme rerum omnium Domine! Non mea, sed tua voluntas, in me & per me fiat, in tempore & æternitate.

Satìs meus fui, qui tuus esse debui: satis diu in te injurius, quia in me benignus.

Usurpavi me mihi, qui sum obligatus tibi; abusus me ipso sum Mancipio tuo: anima mea, tui imagine; Intellectu meo veritatis tuæ speculo: Voluntate, amoris rea; Memoria, Beneficentiæ tuæ teste; sensibus denique, obsequii tui Ministris.

Detestor tandem iniquam hanc meam proprietatem, ac ne momento quidem deinceps ullo quidquam, ut meum, retinere statuo:

Sed totus, qui sum, in Jus tuum transeo, meque & omnia mea tibi resigno; ac divino tuo beneplacito omnino permitto, offeróque.

Corpus in victimam, cor in templum, vitam in holocaustum, vires omnes & Facultates in beneplaciti tui obsequium.

Statue de me, quicquid tibi placuerit, cui placere non potest, nisi salus mea.

Utere me, velut re tua, meis omnibus, Fama, vita, fortunis: Corpore, anima! ad arbitrium tuum.

Nunquam tua circa me voluntas, ab æterno, niſi optima fuit; nunquam deinceps erit alia.

Nunquam mea hactenus bona fuit, nec eſſe poteſt, niſi tuæ conformis.

Quicquid ergo de me decreviſti æternitate, in tempore exequere.

Sanum vis? Sanitatem tibi impendam: Vis Ægrum! Ægritudinem: vis Pauperem? Paupertatem: vis Opulentum: Opulentiam; vis Felicem? Felicitatem. Vis Miſerum? Miſeriam.

Id unicum modò, tuis in me adde beneficiis, ut nihil mihi placeat, quod tibi diſplicet, nihil mihi diſpliceat, quod placet tibi.

GRATITUDO.

Heu! ingratitudo mea peſſima, Optime & Benigniſſime Deus! æternis tibi Beneficiis ſum obligatus: & nullo momento temporis, ubi debui, gratus fui, Tota vita mea, puriſſimum eſt donum tuum, omniáque vitæ meæ momenta meritiſſima beneficia tua; & plena ſunt omnia Ingratitudinis meæ.

Benefactorem te agnovi, & non colui: Beneficia non æſtimavi, ut debui: non uſurpavi: ut potui; non retuli gratias, quas exſpectabas; non reddidi uſuras, quas exigebas.

Utinam! O benefactor meus liceret ad hoc punctum, totam vitam meam revocare; & quicquid neglectum eſt, compenſare!

Utinam liceret Beneficia tua æſtimare ſuo pretio! Gratias referre pro merito: meipſum reddere pro obſequio:

O DEUS! agnoſco Beneficentiam tuam & obligationem meam: Te Benefactorem, & me debitorem. Te Liberaliſſimum in dando, Me parciſſimum in compenſando, ingratiſſimum in uſurpando.

Agnoſco Te conditorem meum, me figmentum tuum. Te Salvatorem, me perditum: te Juſtificatorem, me injuſtum: te Protectorem, me infirmum.

Creâſti me ad imaginem & ſimilitudinem tuam, ad Gloriam tuam, & ſalutem meam.

Conſervâſti me hactenus, tantis univerſi impenſis & propter me omnia.

Redemiſti me à morte æternâ, ad vitam æternam, Vita & Morte Unigeniti tui.

Illuminâſti me Fide tuâ, ne à te Fine meo aberrarem.

Juſtificâſti me toties, gratia tua indignum, & in amicitiam tuam me reſtituiſti.

Peperciſti mihi toties, damnationis reo, & in ſpem ſalutis me vocaſti,

Subduxiſti me tot peccandi occaſionibus, & in ſecuritatem è tot periculis me aſſeruiſti.

Liberâſti me à tot malis, quæ evenire mihi poterant. Suppeditâſti mihi plurima ad ſalutem media: pro quibus omnibus cùm non habeam, quod rependam, niſi unicum Amorem:

Amo te benefactorem meum ex toto corde meo, & in compenſationem beneficiorum tuorum, offero tibi omnia Filii tui merita; unúmque illud per eadem humillimè rogo, uti, cui vivo optimè voluiſti & feciſti, moriturum

siturum divinâ tua beneficentia non dedigneris.

ABNEGATIO SUI, &c.

O Deus! unicum & summum bonum meum, totus ac solus thesaurus meus! in quo omne meum quiescit desiderium, à quo omne votum meum expletur.

Utinam fiat verum in me, illud veritatis tuæ oraculum! *Ubi est thesaurus tuus, ibi & cor tuum:*

Utinam Affectus meus, per creatas Bonitatis tuæ umbras vagè diffusus, tibi aliquando adhærescat!

Utinam nihil extra te, nisi propter te concupiscat! Ecce mi Deus! abnego meipsum, ut te retineam: renuncio omnibus, ut in te omnia inveniam.

Trado me tibi, ad quem omni jure pertineo: & quidquid à te ad usum habeo, sponte reddo; non usurus, nisi ad placitum tuum.

Protestor etiam contra omnes rerum delectabilium fallaces illecebras, contráque omnes Cupiditatum stimulos, & vitiosas ad creata Inclinationes.

Quæque amare non possum sine cœlestium fastidio: neque usurpare sine offensa tua, te teste repudio.

Et quæ transiturum me ad æternitatem relictura sunt, ultro relinquo.

Infirmitatis tamen meæ conscius, peto à te per merita Filii tui, gratiam tuam, ut me eorum usus, quibus carere non possum, non se-

ducat, neque eorum affectus Cor meum à te abstrahat, tum maximè, cùm morti vicinus tibi sistat, terrenis omnibus æternùm separandus.

PATIENTIA.

Patientissime Deus! erubesco meritò impatientiam meam: dum cogito Patientiam tuam, pudet me ignaviæ meæ, qui tot annorum disciplina te Magistro ad Patientiam non erudior: qui pati cogor & pati non disco: pati enim jubeor, dum vitam ingredior; pati mereor, dum peccare non desino: vivere non possum, quin pati debeam: salvus non ero, nisi per patientiam.

Quando tandem, tot obligatus ad patiendum debitis, tantis ad illud ipsum invitatus præmiis, tot instructus exemplis, patiar, quæ pati me, non odio, sed amore jubes?

Quando patiar jubens cum usura, quæ nolens, cum damno meo patior? Heu infelicem me patientem, qui ita patior, ut patiendo ampliùs pati merear; dum, quæ justè patior, injuste detestor.

Pati ego tot titulis mereor, quot peccatorum me à prima ætate reum, conscientia mea arguit: pati mereor, non modò quidquid evenire molesti, adversi, iniqui potest in terris; sed ipsos insuper inferos, idque toties, quoties te graviter offendi, quoties autem (heu!) non offendi(

Et talia quidem promeritus, levissimam manus paternæ dedignor correptionem, queró rque!

rórque! Heu! Famem pati æternam dignus ſum: & indignor, ſi quid minùs ad appetitum meum temperatum apponitur!

Calumnias mortalium omnium, damnatorum æternas ſannas; rerum à Deo conditarum omnium exprobrationes ſum meritus: & verbolum amici jocantis, admonitionem Prælati arguentis non fero.

Egeſtatem extremam, ac rerum omnium penuriam promerui; & ſtomachor, dum re minima carendum eſt.

Societatem damnatorum æternam ſum meritus: & moleſtè fero mores fratrum: defectus naturæ inculpabiles.

Pœnas inter Damnatos ſempiternas jam pridem ſuſtinere me oportebat, & tam iniquè patior, brevem aliquam corporis afflíctionem, aut animi moleſtiam.

Et quid mihi, æternos dolores promerito, diuturnum in tempore, quantúmvis moleſtum videri poſſit?

Tu inſuper, Benigniſſime Deus, ad hæc debita mea addis præmia tua: & liberaliſſimis patientiam meam promiſſis ſuſtentas; lactáſque eam ac mulces æternis cœli gaudiis. Polliceris bona tua omnia, atque adeò te ipſum illi in præmium, eâ ſolum lege, ut paululum tolerem? Et hoc moleſtum ſit?

Heu! quanta & quoties, paſſus non ſum, ut vacarem vitiis, indulgerem concupiſcentiis, placerem hominibus, potirer deſideratis!

Heu! quid non patiuntur improbi, ut supplicia mereantur æterna! & ego pio zelo non feram, quæ mihi Deus meus immiserit!

Ut verò etiam Exempla non desinit, quæ ad patiendum me sollicitent; tu ipse tot annis toleras me, heu qualem; quot peccatis, cupiditatibus, vitiis imperfectionibus plenum, toleras tamen & exspectas, dum resipiscam!

Tu Deus meus, in me, & à me sustines, quæ nullus unquam homo, ab homine sustinuit. Et me quidem, quem tantis beneficiis afficis, quem è sordibus extractum, ad tantam dignitatem evehis, quem inter Cœli Hæredes, & Regni tui Consortes admittis.

Et quasi parùm illud esset, Hominem induis, & humana in carne hominum omnium portas dolores. Eáque pateris, quæ cogitare malignitas, quæ infligere inhumanitas potuit; quæque pati, nisi Deus Homo, non posset.

Sustinet me Angelus meus, & tanta in me támque indigna: Angelus tanto me nobilior, tam bene de me meritus; & perseverat tamen mihi benefacere.

Sustinet me Mater mea, & tanta Mater, cujus primogenitus Deus est: sustinent me Beati omnes.

Sustinent quotquot nôrunt, aut vident me, & tanta in me sterilia sint Exempla?

Video insuper, amoris tui tesseram esse patientiam; & quo quisque tibi carior est, hòc ampliùs pati.

Novi denique usuram patientiæ Gratiam esse, dotem ejus, pacem, cœlum hæreditatem. Et pati adhuc recusem, imò verò pati, patienda omnia non desiderem?

Ecce mi Deus! paratum me jam tandem aliquando ad plagas tuas: cæde, punge, tunde, crucia, feram per gratiam tuam: meo merito, tuis promissis, tuo, omniúmque exemplo doctus. Tu, ô Deus! hic cæde, ut parcas æternùm.

PETITIO.

Benignissimè Deus! animat me veritas tua, ut audeam à te petere, quod non mereor à te impetrare.

Novi enim, teneri te sponsione tua, nihilque negaturum, quidquid petiero.

Experior, urgeri me necessitate mea, cui aliunde, nisi per te satisfieri non potest.

Novi, velle te rogari, quod dare desideras? nec tam impensè, ac crebro posse me rogare, quin tu cupidiùs ac frequentiùs exspectes dare.

Novi, perspectas tibi esse omnes meas necessitates, & infirmitates, miserias omnes, & molestias.

Novi, parata te habere subsidia, id solum deesse, ut rogem.

Eja ergo rogo te per omnes tuas miserationes, da mihi, quod Filius tuus pretio sanguinis sui mihi comparavit: quod dare, tibi facile est, & honorissimum; quod impetrare, mihi necessarium & salutare.

Da,

Da, ut verum concipiam de peccatis meis dolorem, agam pœnitentiam, pœnas expiem.

Da, ut in Fide constans, in Spe firmus, in charitate fervens perseverem.

Da, ut tuum in me adimpleatur beneplacitum; tua in me beneficia non sint frustranea.

Da, ut patienter feram, quidquid mihi adversi, aut molesti evenit: dignum me omni molestia, humiliter sentiam.

Da denique, ut in te vivam per gratiam; de te, per Sacramentum; tecum, per gloriam: Moriárque Filius Gratiæ, viatico Corporis tui munitus, hæres salutis, Amen.

AFFECTUS S. COMMUNIONIS.

Dulcissime JEsu! patris viventium, viaticum in Domino morientium, quem in S. Sacramento præsentem confiteor, & Deum meum veneror, sine quo vivere non possum, mori non spero:

Ecce pando tibi sinum cordis mei, & paratum offero totum animi mei habitaculum; dignare ad me venire, & mecum ad finem usque vitæ manere.

Et qui te non roganti offers, ad te anhelantem non despice. Obsecro te, mi JEsu! per illum ipsum amorem, quo te mihi in Cibum communicas, & per istud amoris Sacramentum, istam mihi ex hoc gratiarum Fonte præsta Gratiam, ut illo Corporis tui Sacratissimo

cibo, dignè reficiar in vita, pie in morte: eóque refectus, fastidiam omnes terræ delicias, & carnis voluptates, tecúmque vivam in tempore, quoad in te vivam æternùm.

Ut eodem confortatus, viam ingrediar universæ carnis, sistárque judicio tuo, non damnandus ad mortem, sed salvandus ad vitam, in qua te summo bono meo, beatè fruar æternùm.

O mi JEsu! tu luisti in Corpore tuo, quidquid ego peccavi in me: tu abluisti Sanguine tuo, quidquid ego deliqui in corde meo. Per illud ipsum Corpus, per Sanguinem istum supplico, absterge à me, quidquid reperies in me, quando viatico isto Corporis tui reficies me, transiturum in æternitatem.

Et quod tunc fortassis non potero, jam rogo, per divinum tuum erga me amorem, & per hoc amoris Sacramentum; ut ultimum meum sit suspirium.

Deus abscondite, & Salvator, salva me, ut ultimum meum sit desiderium, in viaticum mortis sumere te: ut ultimum meum sit solatium. Tecum per Sacramentum Corporis tui uniri: ut ultimum meum sit votum:

In manus tuas tradere spiritum meum, ut ultimum vitæ meæ punctum terminetur amore, Amen.

DE-

DEVOTIO

In varias ſupplicationes digeſta.

I. AD DEUM PATREM.

O Pater Miſericordiarum, & Deus totius Conſolationis! indignus quidem ego ſum iſto te nomine appellare, qui Miſericordiam non merui, ſed juſtitiam; non conſolationem, ſed caſtigationem; dignus tamen es, iſto à me nomine honorari. At quæ tua Miſericordia, ſi mea deſit miſeria? quomodo tu Conſolator, ſi ego non ſim afflictus?

Eja ergo, mi Pater! miſeria mea eſt, quæ te facit Miſericordem; afflictio mea te Conſolatorem; agnoſco me miſerum, oſtende te Miſericordem; afflictum me fateor, Conſolatorem te teſtare. Ego quidem ut miſer ſim à me habeo? ut ſim afflictus, mihimet imputo; tu verò ut miſerearis, ut conſoleris, non mea te miſeria, aut afflictio, ſed tua te movet miſeratio & dignatio.

Miſerere ergo mei, tum, quando in me cum morte, miſeriæ ſimul omnes incumbent; ac tum ſolare, cùm deſolatio me ſuprema occupabit.

Quo in agone oſtende te Patrem, & ſuccurre Filio.

II. AD FILIUM.

O JEſu Miſericordiſſime! quia Filius Patris Miſericordiarum; qui ut miſereri poſſes promptiùs, miſer factus es; miſeriáſque noſtras, naſcendo ſuſcepiſti, vivendo expertus es, moriendo expiâſti.

Ego te poſt Patrem, miſeriarum omnium pleniſſimus, humiliter apello, & demiſſe ſupplico per omnes tuas, pro me toleratas miſerias, & uſurpatas in me miſerationes; ut miſerias omnes, peccatorum meorum juſtiſſimum debitum, admittas in miſeriarum tuarum ſanctiſſimum commercium.

Faciáſque, quæ in pœnam irrogas, in meritum tranſire, & ad præmium computari:

Mortem verò, miſeriarum mearum in vita præſente ultimam, quam obire communis jubet neceſſitas, obire feliciter, tua præſtet benignitas; eámque, mihi eſſe miſeriarum omnium terminum, & bonorum omnium principum:

Idque ut ſperem, facit infinitum, per quod ſpero, Mortis tuæ pretium; quæ uti mortem ſempiternam ſuſtulit, ita vitam æternam conferat.

III. AD EUNDEM CRUCIFIXUM.

O JEſu Crucifige! quàm ſupplimis in ſinu Patris, tam humilis in brachiis Matris, brachiis crucis, Matris Synagogæ.

Quàm gloriosus in cœlis, tam abjectus in terris.

Quàm à te beatus, tam à me miser.

Quàm splendidus in paludamento Majestatis tuæ, tam sordidus in lacerna Vilitatis nostræ.

Credo te Deum in humanitate, & hominem in Deitate, etiam sub spinis saucium, à vulneribus cruentum.

Spero in te, supra me exaltatum per Deitatem, ad me usque exinanitum per humanitatem.

Et spero à te, quidquid pretio Sanguinis tui comparâsti pro me.

Amo te amabilem mihi, quia Creatione imago tua sum: amabiliorem, quia dignatione imago mea es.

Rogo te in ista Fide, per spem illam, ex eo amore, adde istud tuis in me beneficiis.

Ut, quem in Communionem Calicis tui, in crucis tuæ consortium, in dolorum partem jubes venire, dones etiam venire in partem, & societatem Meritorum: per eâque, ita me pati, ut non succumbam; ita me sequi, ut non deficiam; ita certare, ut non cadam; ita vivere, ut mori non timeam; ita denique mori, ut mors mea sit initium vitæ illius, in quo æternos crucis fructus, tecum beatè degustem, & laudes tuas, cum beatis omnibus æternùm decantem.

IV. AD

IV. AD EUNDEM AFFECTUS. S. COMMUNIONIS.

Suprà

Dulciſſime JEſu Panis Viventium, &c.

V. AD SPIRITUM SANCTUM.

O ſanĉte Spiritus, O Bonitatis Principium! O Deus amoris, in quo ſpiro, per quem ſpero, ad quem ſuſpiro; cujus eſt amare proprium & conſolari.

Ad te, amore licet & conſolatione æquè indignus, ſupplex advolvor, nihil quidem afferens, quod mereatur amorem, plurimùm tamen, quod deſideret conſolationem.

Et per amorem tuum, quo nihil habes charius, obteſtor, ut & tu miſeriis meis ſuccurras;

Iliis, quas & alienum primi Parentis vitium intulit, & proprium deinde adauxit.

Atque imprimis ſordes animæ meæ, amoris tui obſtacula, Fonte gratiæ tuæ abluas:

Mentis meæ cæcitatem, & ignorantiam lumine fidei, & ſapientiæ diſpellas:

Cordis mei teporem, igne amoris tui inflammes:

Ariditatem Spiritûs mei, vigore virtutis tuæ fœcundes.

Quod quidem cùm à te obtinuero, & Conſolatorem laudabo & amatorem ſperabo:

Quale te utrùm habeam, quando cum mortis neceſſitate luctandum; tantò confido certiùs, quantò te amavero ſinceriùs:

Ut verò etiam confidam, amo te ex corde, & amare æternùm deſidero.

VI. AD VIRGINEM MATREM.

O Maria, mea tot titulis, quot ego tibi obligor beneficiis; tantò mihi benevolentior affectu, quantò propinquior partu; Mater mea es, non conditione Naturæ, ſed gratiæ jure, ſub cruce conſtituta; quando me genuiſti, non ex utero naturalem, ſed ex corde Filium ſpiritualem; non quidem doloribus parturientis, certè tamen doloribus morientis; non tui, ſed in te morientis Filii tui, unicè dilecti:

Ecce! jam Mater mea, venit ad te Filius tuus, Primogenito tuo longè diſſimilis. Et inter adoptivos tuos, infimus; Filius tamen tuus, ad te Matrem ſuam, & ſupplicat pro ſalute ſua, Sanguine Filii tui partâ, lacrymis tuis impetratâ, Patrocinio tuo obtinendâ.

Monſtra ergo te Matrem, & reſpice Filium.

Quo nomine ſi ille indignus eſt, tu certè materno digniſſima: reſpice ut ſuccurras; recipe, ut ſalves: ſuccurras Auxilio, ſalves Patrocinio:

Reſpice, & non deſpiciet Filius; recipe: & non ſeducet inimicus.

Et ſi quid in me offendis, unde diſpliceam; in te reperis, unde placeam; per te ſcilicet reconciliato Filio.

Quod

Quod ut à te impetrem vivus, & obtineam mortuus, per illud tibi charissimam, & mihi dulcissimum Nomen Matris supplico.

VII. AD ANGELUM CUSTODEM.

O Custos Angele, à primo vitæ momento mihi fidelissime, salutis meæ nunquam non studiosissime! agnosco benevolentiam tuam in Officio, liberalitatem tuam in Beneficio, humilitatem in obsequio.

Cœpisti mihi bene velle, cùm cœpi vivere; benefacere, cùm cœpi mala pati, (pateris enim, & mala pateris, cùm me sustines malum, quem cuperes bonum) per istum tuum tam constantem in me animum, cui toties vitem, incolumitatem, & salutem debeo. Quoties ea non perdidi peccando, aut tu perniciem meam avertisti deprecando? Per illum, inquam, tuum in me affectum rogo, dirige porrò vitæ meæ cursum, ut à salutis, virtutis & perfectionis tramite, nec emollitus carnis illecebris, nec inescatus mundi pompis, nec captus Diaboli insidiis, unquam deflectat, sed ad metam usque, unde incipit æternitas, decurrat.

Quam tantò ampliùs tibi spero cordi futuram; quantò pluribus illa periculis est obnoxia:

Quæ ut in vita & morte evadam, tu consilium tempori suggere, & manum in necessitate porrige.

VIII. AD SANCTOS PATRONOS.

O Sancti, Vitæ, salutisque meæ Patroni, N. N. communi omnium, & mea imprimis veneratione dignissimi! Vos ego amoris ductu singularis, præcipuè colendos & invocandos mihi delegi; vobisque me ac mea, spei vestræ nixus fiduciâ commisi.

Agnosco vestros in me favores, & meam erga vos ingratitudinem, qui tot vestris occupatus beneficiis, non respondi obsequiis; toties sensi in necessitatibus amoris vestri opem, & non retuli honoris mei vicem.

Agnosco intercessionis vestræ patrocinium, & obligationis meæ vinculum; istud ut deinceps mihi à vobis securè pollicear, hanc explere sedulò conabor.

Et vestras ubique laudes diffundere, cultum vestrum propagare, exemplum denique vestrum sectari:

Quod ut præstem, vestra iterum faciet benevolentia, cui & vitam meam universam offero, ductu vestro transigendam, & mortem commendo, vestro in conspectu, & sub tutela vestrâ obeundam.

Vos ô Sancti N. N. de vestra jam salute securi, de me estote soliciti: Et quos in vita Patronos elegi, in morte patrocinantes experiar: victurus deinceps vobiscum beatè, Patrocinii vestri memor æternùm.

PROTESTATIO

Contra omnes inimici insidias.

SUmme DEUS, quem immensum, credo, & ubique præsentem confiteor! Mater Virgo, Michaël Archangele, Custos Angele, S. Joseph, Patroni mei reliqui N. N. Sancti omnes, quos in Verbo agnoscere non dubito, quæcunque ego de me constare vobis, ad Gloriam vestram, & salutem meam desidero!

Sisto me coram vobis, & consciis vobis protestor.

1. Detestari me ex animo omne peccatum meum, & quidquid oculis vestris in me displicet:

Nec deinceps admissurum aliquid, quod novero displicere.

2. Protestor, credere me: quidquid Ecclesia Romana, cujus membrum sum, credendum proponis; errorésque omnes ab ejus sensu alienos execrari.

3. Sperare item me peccatorum meorum veniam; per fusum pro me JEsu Christi sanguinem, & æternam meritorum meorum retributionem:

4. Amare me ex animo, unicè amabilem Deum meum, & amaturum, quidquid etiam adversi immiserit; ac præter mentem, arbitriumque meum futurum, si quid natura dolendi impatiens, reluctetur.

5. Invisas mihi esse, & ut confido, deinceps fore, omnes rerum caducarum illecebras,

bras, nec iis captum, detrectare me, aut detrectaturum divinæ tuæ providentiæ circa me, vitámque ac mortem meam placitum.

6. Nolle me, ullum rei cujuspiam à me bene gestæ plausum ac omnino, velle vivere, ac mori, quomodo me tu, Deus meus, volueris.

7. Et hanc voluntatem meam, firmissimè mihi modò decretam cupere me, in vita & in morte esse incommutabilem.

Quod ut consequar à te imprimis, Deus optime, maxime, à te deinde virgo Mater, Archangele Michaël, Custos Angele, sancte Joseph, cæteri Patroni N.N. Sancti omnes, ex animo obtestor.

Brevis Superiorum affectuum Synopsis ad usum frequentiorem contracta.

CRedo in te, O Deus veritas, & quidquid te revelante Fides docet, & Ecclesia proponit: adauge in me Fidem, & da, ut in illa sincerè vivam & constanter moriar.

Spero in te, O infinita Fidelitas, unicum ac summum bonum meum; & spero à te, quam promisisti, veniam, gratiam, gloriam; & precor, ut hæc spes me non deserat in vita, non confundat in morte.

Amo te, O immensa bonitas, & quidquid tecum, ac propter te est amabile, idque ex toto corde meo. Et hoc amore opto animari

ri totam vitam meam, & vitæ meæ exitum terminari.

Deteſtor ex animo, O æterna Majeſtas, omne peccatum meum, non quia ſummum meum malum eſt, ſed quia ſumma tua offenſa eſt. Et nollem illud unquam à me commiſſum: ac ſtatuo te adjuvante, nunquam illud committere, petóque, ut, quem nôſti ſine peccato non vivere, donec fine pœnitentia non mori.

Reſigno me tibî, O ſupreme rerum omnium Domine; tuoque beneplacito vitam meam univerſam ſubdo, firmitérque decerno, ab illo nec in proſperis, nec in adverſis, nec in vita, nec in morte recedere.

Agnoſce beneficentiſſime Deus, divinam tuam in me liberalitatem, tot beneficiis teſtatam, quot vixi momentis; tot meis obſequiis dignam, quot habeo mentis, cogitationis, animi affectus, corporis membra, reſpirandi vires: gratiáſque ego ex animo, méque in compenſationem integrè reddo, quoad totus per mortem tranſeam in Gratitudinis holocauſtum, æternis à me gratiis tibi offerendum.

O Deus meus & omne bonum meum! pudet me, quòd te non contentus, bono infinito, bonitatis exiguæ umbras ſim ſectatus: deteſtor præpoſterum illud ſtudium meum, & renuntio omni bono, quod te minus eſt, illudque peto, ut tu ſolus deinceps expleas omne meum deſiderium.

Mitissime Deus, qui non minùs te patiendo misericordem, quàm agendo Potentem ostendis! Offero me tibi ad ferendum, quidquid immiseris, aut permiseris, ideo solùm, quia tu me ferre jubes: petóque istam à te gratiam, ut non sinas patientiam meam, aut vitæ molestiis, aut malevolorum injuriis, aut morborum, mortísque doloribus convelli.

Benignissime Deus! qui ut me ad petendum allicias, petenti omni promittis: Ecce fretus promissis tuis petam veniam reo, solatium afflicto, subsidium egeno, ignaro ductum, infirmo robur, vivo gratiam, morituro perseverantiam: pérque ipsa illa promissa tua, quibus divinam tuam obligâsti fidem, rogo, petenti annuas, petita dones, donata, conserves. O Deus, Pater misericordiarum! O Fili Dei! miseriarum Consors! O Spiritus sancte, Miserorum Consolator, per ista mihi dulcissima nomina obtestor; ut, quem Patrem appello, Patrem habere merear: quem Fratrem, & consortem agnosco, Fratrem experiar: quem Consolatorem veneror, Consolatorem sentiam, tum maximè, quando cum morte luctandum erit pro æternitate; utque refectus Pane vitæ, Crucis virtute adjutus, patrocinante Matre Virgine, tutante Archangelo Michaële, assistente Angelo custode, Patronis meis succurrentibus, Beatis omnibus auxiliantibus, felicem consequar devicta morte æternitatem, Amen.

CO-

CORONA PRECATORIA

de Sanctissimis & Suavissimis

JESU Christi Plagis, ab iis recitanda, qui bonæ mortis cupidi, se crucifixo JEsu & Mariæ, prope crucem collacrimanti, mancipaverunt.

AUrea hæc de quinque JEsu Christi plagis Corona, quinque continet peculiarium Orbium series, in quorum singulis quinque Orationes Dominicæ, & una Oratio Angelica recitantur. In Orationibus Dominicis considerantur acerbissimi cruciatus JEsu Christi: in Oratione Angelica Mariæ dolor contemplatur. E singulis verò plagis, dulcissimis tanquam è fontibus, donum aliquod est hauriendum: è plaga sinistri pedis omnium peccatorum remissio expetitur; è plaga pedis dexteri adeptio virtutum, & præsertim fortitudo contra tentationes, & conatus mali Dæmonis exposcitur; è plaga sinistræ ab inferorum suppliciis libertas postulatur: è plaga dexteræ cœlestis regni possessio efflagitatur: è plaga lateris, suavissimo vel ex alveo, melleus, & sincerus JEsu, ac Mariæ amor exoratur: unicuique demum Coronæ hujus seriei his cantiunculis finem impones.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, ſicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Sancta Mater iſtud agas,
Crucifixi fige Plagas
Cordi meo validè.

Qui tamen coronam hanc recitare nequibit, quinque Orationes Dominicas, & quinque Angelicas, cum quinque Gloria Patri recitabit, ad dulciſſimarum plagarum decus, & ornamentum, quinque illa dona nuper relata, & eo, quo dictum eſt, ordine poſtulanda.

Methodus meditandi hanc eandem Coronam.

QUinque plagarum precatoriam Coronam meditari unusquisque poterit, varios tum intelligentiæ, tum voluntatis actus eliciendo. In ſingulis plagis tres ab intelligentia actus eliciendi ſunt, amorem modò, modò dolorem, modò plagæ illius, quam meditatur, pretium perpendendum; voluntas quoque tres actus eliciat, gratias agendo, veniam precando, & quinque illa dona modo nuper dicto, exorando; in quinque verò precariis globulis alii etiam actus eliciantur hoc modo.

Primò in globulis precariis primæ ſeriei quinque actibus ſiniſtri pedis plagam veneraberis. 1. Recognoſcendo re hominem nequam, imbecillem, & peccantem; hujusmodi enim es, in iniquitatibus, & peccatis conceptus.

ceptus. 2. Talem te hominem eſſe, pro certo habeas. 3. Talem ab omnibus haberi cupias. 4. Omnibus te creatis rebus poſtponas, in illarum ſingulis Dei immortalis dona contemplans, in te verò, quod à te habes, conſiderans. 5. Æquo animo adverſas res omnes patiaris, cum bono illo fure conclamans, *Nos quidem juſtè: nam digna factis recipimus*, quinimo, *inferiora meritis*, cùm inferiorum pœnas promerearis.

Secundò, in globulis precariis ſecundæ ſeriei, quinque etiam actibus, dexteri pedis plagam obſervabis, expreſſa Chriſti veſtigia ſequendo. 1. Chriſtum imiteris in ſtudio propriæ perfectionis. 2. In ſtudio ſalutis, & perfectionis hominum. 3. In ſtudio divinæ gloriæ. 4. In cruce tuam vitam degere cupias, in quam tuus JESUS eſt adactus, ut cum Divo Paulo dicas: *Chriſto confixus ſum cruci*; 5. Pro Chriſto mori deſideres, qui pro te mortuus eſt, atque his verbis tuum deſiderium excites, & pro te mortuum JEſum alloquaris: *Amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori.*

Tertiò, in globulis precariis tertiæ ſeriei, quinque actibus, ſiniſtræ plagam vereberis, quinque erga homines amoris ſigna prœbendo; 1. Illos tanquam Dei Filios, Chriſti Fratres, ipſius ſanguine redemptos, & divini Spiritûs templum contempleris; 2. Omnia illis bona cupias; 3. Verbo, & re illis auxilieris, Chriſti verbis intentus; *Quod uni*

ex minimis meis fecistis; 4. Illorum ſalutem, & incolumitatem procures; 5. Pro ipſorum ſalute tuam offeras vitam.

Quartò in globulis precariis quartæ ſeriei, quinque actibus, dexteræ plagam meditaberis, quinquies erga immortalem Deum tuum amorem exercendo; 1. Deo ſuam naturam, ſuáſque perfectiones innumerabiles gratuleris; 2. Illis gaudeas, oblecteris; 3. Omne illi creatarum rerum obſequium deſideres; 4. Te ad divinam voluntatem conformes; 5. Auguſtiſſimam Dei naturam videre ex animo cupias.

Quintò, in globulis precariis quintæ ſeriei, quinque actibus, in ſuaviſſima divini lateris plaga immoraberis, quinquies ad æternam beatitatem inhiando? 1. Caducas, & fluxas hujus vitæ res aſperneris; 2. Maximi ducas æterna, & firma futuræ beatitudinis bona; 3. Hæc bona ab immortali Deo pro viribus poſtules: 4. Pro tot tantorúmque bonorum adeptione Deo quinque plagarum pretium offeras; 5. Omnes tuas cogitationes, verba, & opera. *Ad majorem Dei gloriam, & ad vitam æternam dirigas.*

Fructus denique, quem ex hujus precatoriæ Coronæ contemplatione, aureâ velut ex arbore, decerpere poteris, hic erit, nimirum perfectiſſima obſervantia horum trium verborum *Inſpice, Abſtine, Suſtine*, habitabis ſiquidem cogitatione, & amore in dulciſſimis JEſu Chriſti plagis, in quibus quinque tibi facies tabernacula: in iis enim te eſſe bonum eſt.

est. Abstinebis ab omni humanarum rerum jucunditate, unâ sacrorum quinque Christi vulnerum suavitate expletus. Sustinebis denique lubenti animo calamitatum omnium impetum, omniâque tuorum hostium tela tutus excipies, fortissimo quinque JEsu Christi Ducis nostri Plagarum clypeo protectus.

In sanguine Christi, & gratia Mariæ: Amen.

ASPIRATIONES.

PRO FELICI OBITU

AD CHRISTUM.

NOn intres in judicum cum servo tuo dulcissime JESU! quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Ne memineris, bone JESU, iniquitatum mearum: citò anticipent me misericordiæ tuæ, quia pauper factus sum nim s.

Illumina, mansuetissime JESU! oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, nequando dicat inimicus meus, prævalui adversus eum.

Domine JESU Christe Fili Dei vivi! pone Passionem, crucem & mortem tuam inter judicium tuum & animam meam.

Bone JEsu! per extremas illas in cruce voces, quibus Patri Spiritum commendâsti,

te rogo! suscipe Spiritum meum in fine vitæ meæ.

O mi amantissime Domine JEsu Christe! ob honorem & virtutem tuæ benedictæ Passionis, jube me adscribi in numerum electorum tuorum.

Salvum fac servum tuum, Domine Deus meus, sperantem in te.

Tuus sum ego, salvum me fac. Ne perdas cum impiis Deus animam meam.

JEsu! esto mihi JEsus & salva me. Domine JEsu accipe spiritum meum.

In te Domine JEsu speravi, non confundar in æternum.

Ad Beatissimam Virginem.

MAter Dei memento mei, nunc & in horâ mortis.

Adsis mihi, Domina, in omnibus actionibus meis, nec me deseras in hora mortis.

Adesto mihi, Domina, cum tota æternitate depugnanti.

Maria Mater gratiæ,
Mater misericordiæ.
Tu nos ab hoste protege,
Et in horâ mortis suscipe.
Vitam præsta puram,
Iter para tutum.
Semper collætemur.

Ad Sanctos Angelos.

SUccurite, ſubvenite O vos omnes beatiſſimi Spiritus, ſancti Angeli Dei: & cùm in extremis veſtram opem non ampliùs implorare potero, ne me deſerite.

Sancte Angele Cuſtos, defende me in hoc prælio, ut non peream in tremendo judicio

Ad omnes Sanctos.

SAncti Dei omnes intercedere dignemini animæ meæ.

Moriatur anima mea morte juſtorum, ſed vivat priùs vita Juſtorum, Amen.

HOMAGIA

In Vita & Morte DEO præstanda.

Reddite, quæ sunt Dei, Deo. Matth. 22

HOMAGIUM I.

Summæ Excellentiæ, Primo Fonti omnis esse, Domino vitæ & mortis.

Actus adorationis,

Dominum Deum tuum adorabis. Luc. 4.

AGnosco te, ô mi Deus! ut supremum Dominum meum, primum Principium, & ultimum Finem meum, Authorem Naturæ, Gratiæ, & Gloriæ profundissima cum humilitate te adoro Dominum vitæ & mortis, tibique sponte sacrifico vitam meam, in unione Sacrificii Filii tui Domini nostri JEsu Christi in cruce, & adorationis, quâ B. V. Maria, & omnes Sancti te adorârunt in terra, æternùm te adorabunt in cœlo.

HOMAGIUM II.

Primo Veritati.

Actus Fidei.

Sine Fide impossibile est, placere Deo. Hebr. 11.

O Mi Deus! Suprema & Essentialis Veritas! Credo te unum in Essencia, & Trinum in Personis, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Credo, teneo, ac profiteor Fidem illam, quam Christus docuit, quam prædicaverunt Apostoli, quam Sancta Romana Dei Ecclesia docet ac profitetur, & singulos Catholicæ Fidei articulos paratus sum sanguine meo subsignare, & morte mea confirmare.

HOMAGIUM III.

Omnipotentiæ & Misericordiæ Dei.

Actus Spei.

Nolite amittere Confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Hebr. 10.

O Mnipotens & Misericors Deus! cui proprium est misereri semper & parcere! spero per Sanguinem & merita JEsu Christi Redemptoris mei ab infinita Bonitate tua, ac Clementia remissionem peccatorum, quibus te summum bonum meum gravissimè offen-

di. Spero in te, ô æterna Felicitas mea! qui es meta omnium desideriorum, & humanæ mentis plena satietas. Spero firmissimè, me à paterna liberalitate tua obtenturum omnia, ad salutem obtinendam mihi necessaria, gratiam copiosam, & gloriam sempiternam.

HOMAGIUM IV.

Summæ bonitati Dei.

Actus Amoris.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Luc. 10.

AMo te, ô amabilissime Deus! ex toto corde meo super omnia, propter infinitam bonitatem tuam. Vellem, si possem, amare te illo amore, quo te amant omnes Sancti, & JEsus Christus Filius tuus; quo te ipsum infinitè amas: & ex sincerissimo tui amore intensissimè doleo, quòd te summum bonum meum peccatis meis toties offenderim. Quidquid unquam perpessus sum, & quidquid patior patiárve, omne illud ex motivo sanctissimi amoris tui offero gloriæ tuæ. Amor tuus perficiat dolores meos, efficiátque, ut quantùm me cruciant, tantùm te delectent. Patiar, quia tu præcipis, quem ardentissimè amo super omnia, Tibi me totum in holocaustum consecro, ô Deus cordis mei, & Pars mea Deus in æternum.

HOMAGIUM V.

Divinæ Providentiæ.

Actio Gratiarum pro omnibus Mediis ad Salutem.

In omnibus gratias agite. 1. Theſſ. 5.

GRatias tibi ago infinitas, liberaliſſime Deus! pro innumeris beneficiis mihi & toti mundo à Paterna & Benigniſſima Providentia tua indeſinenter collatis, pro mediis ad ſalutem aptiſſimis ab æterno mihi præparatis, pro copioſis naturæ & gratiæ donis, quibus me miſerrimam & ingratiſſimam, tuóque amore indigniſſimam creaturam cumulare non deſinis. O utinam tantis beneficiis tuis nunquam contra te abutar, ſed omnia puriſſima intentione referam in te ſolum, fontem inexhauſtum bonorum omnium! in gratiarum actionem offero tibi, ô Pater amantiſſime, me totum, & omnia mea, atque ex animo gaudeo, hæc omnia infinitis titulis tibi jam dudum fuiſſe debita, quæ tibi novo amoris & gratitudinis affectu integerrimè conſecro.

HOMAGIUM VI.

Divinæ Juſtitiæ.

Actus Pœnitentiæ & humilitatis.

Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. Pſal. 50.

O Juſtiſſime Deus! ego abominandus peccator; coram infinita Majeſtate ac bonitate tua proſtratus, corde contrito & humiliato confiteor me reum læſæ ſupremæ Majeſtatis tuæ, veniámque meorum criminum ſupplex rogo. Deteſtor ex animo omnia peccata, quibus te amabiliſſimum Deum meum frequentiſſime offendi; & cum gratia tua propono firmiſſimè, nunquam deinceps offendere infinitam bonitatem tuam. O utinam omnes halitus mei ſint gemitus dolentis ac pœnitentis cordis mei! O Juſtiſſime ſcelerum Vindex, & miſericordiſſime Pater! hîc ure, hîc ſeca, dummodo in æternum parcas.

HOMAGIUM VII.

Sacroſanctæ Trinitati.

Actus Glorificationis.

Laudate Dominum omnes gentes. Pſal. 116.

BEnedico te, laudo te, Glorifico te; ô Sacroſancta Trinitas, unus DEUS! Tibi ſoli laus

laus honor, & gloria ab omni creaturâ nunc & ſemper. Gloria Patri, qui creavit me. Gloria Filio, qui redemit me. Gloria Spiritui Sancto, qui ſanctificavit me. Gloria Patri, qui me ſuſtentat per ſuam potentiam. Gloria Filio, qui me gubernat per ſuam Sapientiam. Gloria Spiritui Sancto, qui me ſanctificat per ſuum amorem. Benedicta ſit Sancta & individua Trinitas ab omnibus Angelis & Sanctis & ab omnibus creaturis, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Vide ſoliloquia S. Auguſtini. cap. 37.

HOMAGIUM VIII.

Divinæ Sapientiæ, Omnipotentiæ & Bonitati.

Actus Conformitatis.

Fiat Voluntas tua ſicut in Cœlo & in terra. Matth. 6.

O Mi Deus infinitæ Sapientiæ, & potentiæ, & bonitatis! O utinam ſemper integrè exequar ſanctiſſimum Beneplacitum tuum nec unquam contradicam ſermonibus ſanctis! Tu, Domine nôſti, quid mihi ad ſalutem ſit magìs proficuum. Tu potes & vis me, & à me ſemper perfectiſſimè ad-

adimpleri. O Pater amantissimè! quidquid vis, quantum vis, quomodo vis, & ego volo. Fiat, Domine, in me, de me, per me, circa me, & circa mea omnia sanctissima Voluntas tua in omnibus, nunc & in æternum, Amen.

F I N I S.

IN-

INDEX MEDITATIONUM.

Prima Pars Meditationum. Pro via purgativa.

Secunda pars Meditationum.

Pro via illuminativa.

Tertia Pars Meditationum.

De præcipuis Mysteriis, vitæ & mortis Filii Dei & sanctissimæ Matris ejus.

Quarta Pars Meditationum.

Pro via unitiva.

INDEX MEDITATIONUM.

In singulos Anni dies.

Dominica I. Adventus.

Evangelium S. Lucæ cap. 21. à v. 25. usque ad v. 34. *Medit.*

Dominica II. Adventûs.

Evangel. S. Matth. c. 11. à v. 2. usque ad v. 11.

6. Jan.

Dominica I. post Epiphaniam.

Dominica II. post Epiphaniam.

Dominica III. post Epiphaniam.

Dominica IV. post Epiphaniam

Evang. Matth. cap. 18. à v. 23. usque ad v. 28.

Dominica V. post Epiphaniam.

Evang. Matth. cap. 13. à v. 24. usque ad v. 31.

Dominica VI. post Epiphaniam

Evang. S. Matth. cap. 13. à v. 31. usque 36.

Dominica Septuageſimæ.

Evang. Matth. cap. 20. à v. 1. usque ad v. 17.

Dominica Sexageſimæ.

Evang. Luc. *cap. 8. à v. 4. usque ad v. 16.*

Dominica Quinquageſimæ

Evang. Luc. c. 18. à v. 31. usque ad v. 44.

Dominica I. Quadrageſimæ.

Evang. Matth. cap. 4. à v. 1. usque ad v. 12.

Dominica II. Quadrageſimæ.

Evang. Matth. cap. 17. à v. 1. usque ad v. 10.

Dominica III. Quadrageſimæ.

Evang. Matth. cap. 11. à v. 24. usque ad v. 27.

Dominica IV. Quadrageſimæ.

Evang. S. Joan. cap. 6. à v. 1. usque ad v. 16.

Dominica Paſſionis

Evang. S. Joan. cap. 8. à v. 46. usque ad v. 60.

Fer.2.

Dominica Palmarum.

Evang. S. Matth. cap. 21. v. 1. usque ad v. 10.
Passio Christi. Matth. 26.

Dominica Resurrectionis

Evang. S. Matth. cap. 16. à v. 1. usque 8.

Dominica I. poſt Paſcha.

Evang. S. Joan. cap. 20. à v. 19. usque ad v. 32.

Dominica II. poſt Paſcha.

Evang. S. Joan. cap. 10. à v. 16. usque ad v. 17.

Dominica III. poſt Paſcha.

Evang. S. Joan. cap. 10. à v. 11. usque ad v. 23.

Dominica IV. poſt Paſcha.

Evang. S. Joan. cap. 16. à v. 5. usque 15.

Dominica V. poſt Paſcha,

Evang. S. Joan. cap. 16. v. 23. usque 31.

Evang. S. Marci. cap. 16. à v. 14. usque 21.

Evang.

Domi-

Dominica VII. poſt Pentecoſten.

Evang. S. Matth cap. 7. à. v. 17. usque 22.

Dominica VIII. poſt Pentecoſten.

Evang. S. Lucæ. cap. 16. à v. 1. usque 10.

Dominica IX. poſt Pentecoſten.

Evang. S. Lucæ cap. 16. à v. 41. usque 45.

Fer. 6.

Dominica X. poſt Pentecoſten.

Evang. Luc. c. 18. à v. 9. usque ad v. 15.

Dominica XI. poſt Pentecoſten.

Evang. S. Marc. cap. 7. à v. 31. usque 38.

Dominica XII. poſt Pentecoſten.

Evang. S. Lucæ. cap. 10. à v. 23. usque 38.

Dominica XIII. poſt Pentecoſten.

Evang. S. Lucæ cap. 17. à v. 11. usque 29.

Dominica XIV. poſt Pentecoſten.

Evang. Matth. cap. 6. à v. 24. usque 24.

Dominica XV. poſt Pentecoſten.

Evang. S. Lucæ cap. 7. à v. 11. usque 17.

Dominica XVI. poſt Pentecoſten.

Evang. S. Lucæ cap. 14. à v. 1. usque 12.

Dominica XVII. poſt Pentecoſten.

Evang. S. Matth. cap. 22. à v. 35. usque 46.

Dominica XVIII post Pentecoſten.
Evang. S. Matth. cap. 19. à v. 1. usque 9.

Dominica XIX. poſt Pentecoſten.
Evang. S. Matth. cap. 22. à v. 1. usque 15.

Dominica XX. poſt Pentecoſten.
Evang. S. Joan. cap. 4. à. v. 46. usque 54.

Dominica XXI. poſt Pentecoſten.

Evang. S. Matth. cap. 13. à. v. 23. usque 36.

Dominica XXII. poſt Pentecoſten.

Evang. S. Marci. cap. 33. à v. 15. usque 22.

Domi-

Dominica XXIII post Pentecosten.

Evang. S. Matth. cap. 9. à v. 18. usque ad v. 17.

Dominica XXIV. post Pentacosten.

Evang. S. Matth. cap. 24. à. 15. usque ad v. 36.

INDEX MEDITATIONUM.

In Præcipua Anni Festa.

JANUARIUS.

25. An.

AUGUSTUS.

Vel:

SEPTEMBER.

OCTO-

OCTOBER.

NOVEMBER.

DECEMBER.

PRO RENOVATIONE VOTORUM.

Usui esse possunt Meditationes sequentes.

Quibus non libuerit sequi hunc Ordinem Meditationum in singulos anni dies, liberum erit illis, uti secundùm seriem, quâ una alteram sequitur, aut seligere illas, quarum argumenta magis videbuntur consentanea præsenti meditantium constitutioni. Expedit etiam quandoque adhibere illam, quæ librum aperienti forte occurrerit ope Spiritûs sancti priùs invocatâ.

